MODERANTE DEO OPTIMO MAXIMO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, 15.

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

ELECTORATVS BRANDENBVRGENSIS HEREDE,

&c. &c.

CONSENSV SVPERIORVM

DISPVTATIONEM INAVGVRALEM

DE

PACTIS DOTALIBVS

ad Part. II. Tit. XI. Art. XI.

Juris Statutarii Hamburgenſis,

DIRIGENTE

DN. CHRISTIANO THOMASIO,

CONSIL. ELECT. BRANDENB. PROF. PVBL.
VNIVERSIT. FRIDER. SEN. & FACVLT. JVRID.
h. t. DECANO,

PRO LICENTIA,

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVTOR

DIEDERICVS ANCKELMANN,

HAMBVRGENSIS.

D. VI. APR. MDCXCV.

IN AVDITORIO MAJORI,
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

(9)

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
RECVSA LITERIS SALFELDIANIS, 1723.

SECTIO I.

Exhibens ipſum ſtatutum, ejusque verſionem latinam, ut & interpretationem Philologicam, Analyticam atque Hiſtoricam.

Juris Statutarii Hamburgenſis Part. 2. tit. XI. art. 11.

WAnn Ehezärter zwiſchen Eheleuten ſeyn auffgerichtet, und von denen, die zur Verpflichtung darzu erfordert/ ſeyn vollenzogen, untergeſchrieben und verſiegelt, ſo wird auch billig nach des einen oder andern Abſterben, ſo wol zwiſchen dem nachgelaſſenen Ehe-Manne, oder ſeiner Witwen, und den Kindern, die ſo wohl aus der erſten, andern und dritten Ehe gebohren, die Theilung nach dem aufgerichteten Ehezärtern billig gehalten; und ſeyn ſo wohl der eine, als der andere darnach ſich zu richten ſchuldig, und iſt damit der Witwen die Wahl zu dem Stadt-Rechte, oder zu dem Ehezärtern ſich zu ziehen, hiemit benommen, ſondern muß dieſelbe die Ehezärter folgen.

§. I.

Generalia de officio interpretis n. 1. ſeqq. Vox billig *in ſtatuto bis repetita ſemel expungenda, n. 14. ſeqq. Idem obſervatur de repetitione vocum* hiemit *&* damit, *n. 20. Inconveniens eſt etiam particula,* ſo wohl. *n 21. ſeqq. Et vox* und *mutanda in* als. *n. 27. ſeqq.*

QUamvis Leges ſcire non ſit verba earum tenere ſed vim & poteſtatem. *l. 17. ff. de LLbus* quæ voluntas etiam *l. 18. & 19. ff. eod. l. 5. C. eod.* item ſententia *l. 29. ff. eod. l. 67. ff. de R. I. l. 5. C.* 1

 de

de LLbus & mens anima, ac ratio Legis *l. 13. §. 3. ff. de excuſat. tutor.*
l. 7. §. 2. in fin. ff. de ſuppellect. legat. &c. dicitur: dubio tamen omni
2 caret, facturo Legis interpretationem verborum quoque curam
eſſe ſuſcipiendam. Ut enim taceam effatum Ulpiani *in L. 6. §. 1.*
3 *ff. de V. S.* quando verbum ex Legibus ſic accipiendum ait, tam
ex Legum ſententia, quam ex verbis; vel illud ad conſideratio-
nem verborum, & ex illis compoſitæ Orationis externæ Juris in-
terpretem adiget, quod id tantum, JCto teſte, perfectum ſit,
4 quod ex omnibus ſuis partibus conſtat. *l. 1. ff. de O. J.* Quare
cum Legis ſcriptæ natura atque eſſentia tam mente ſive ſenten-
tia, quam verbis abſolvatur, interpretatio ejus non eſt perfecta,
niſi ſimul & voluntas & oratio probe perpendatur, examinetur,
5 atque explicetur. Imo ante omnia verborum eſſe rationem haben-
dam patet vel inde, quod hæc ſigna ſint, & teſtimonium mentis,
& demonſtrent voluntatem Legislatoris *l. 7. § 2. ff. de ſuppellect. legat.*
l. 38. ff. de O. & A. ac τὸ eſſe dent rei. *Baldus in L. ult. num. 4. C. de ſuis*
& legitim. unde ni de ſigno prius conſtet, multo minus de ſignato
conſtabit: *arg. l. 1. § 6. ff. de ædilit. edict. l. 3. C. de fabricenſibus. libr. 11.*
6 Præterea cum iſtæ præfationes & libentius ac facilius ad lectionem
propoſitæ materiæ producere, & cum ibi venerimus, evidentiorem
præſtare queant intellectum, inconveniens eſſe interpretationem
promittenti judicatur a Gajo *in d. l. 1. ff. de O. J.* omiſſis initiis atque
facilioribus, atque illotis, ut cenſet, manibus protinus materiam
7 interpretationis tractare. Præcipue cum nec deſint Exempla JCto-
rum veterum puta Cujacii, Alciati, Hotomanni, Jac. & Dionyſ.
Gothofredorum, (add. Briſſonium in libr. ſingulari ad L. Jul. de
adulteriis, ubi propoſita Lege ſingula verba excutienda, iisque ex
mente JCtorum congruam interpretationem accommodandam do-
cet) ſatis demonſtrantia non parum ipſos occupatos fuiſſe circa
externam Orationem & Scripturam, qua Leges proponebantur. Vel
8 ſolus Digeſtorum titulus de Verborum ſignificatione luculenter id
evincit, & *Quintilianus libr. 5. cap. ult. in f.* teſtatur, JCtis ſummum
circa verborum proprietatem laborem eſſe, ac propterea Ulpianum
ab hac diligenti verborum conſideratione ὀνοματοθήριον i. e. inda-
gatorem nominum appellatum fuiſſe, ut apparet ex *Athenæo*
libr. 14. de rat. Sophiſt. add. Cujac. 24. obſ. 39. in f. & in recit. ad l. 141. ff.
de

de V.S. add. de hactenus dictis fuſius agentem Gœddæum in commentar. ad rubric. ff. de V.S.

Quibus omnibus ita ſe habentibus, & mihi molienti Interpre- 9
tationem *art. 11. ex jure* Statutario Patrio *Part. 2. tit. XI.* eam impoſitam eſſe neceſſitatem facile ſentio, ut priorem quidem verborum, poſteriorem & potiorem autem rerum atque mentis ſtatuto hoc comprehenſæ rationem habeam. *sec. Gœddæum l.c. in princ. add. Calvini Lexicon Juridicum in voce: Verbum in fin. ubi incip. verborum ſuperficiem. Magnif. Dn. Præſidem Inſtit. Jurisprud. div. l. 2. c. 12. §. 7. & 12.* Quod ergo felix 10
fauſtumque ſit, ac proſpere evenire ſummum Numen benigniſſime
faxit! A precibus enim merito exordior, cum univerſa tunc demum 11
bene gerantur, & competenter, ſi rei initium fiat decens & amabile Deo. *Nov. 6. præfat.* Et nihil recte, nihilque ſapienter homines auſpicentur ſine Dei immortalis auxilio, quod eſt fundamentum totius operis. *can. cum Paulus 26. cauſſ. 1. qv. 1. can. 17. §. dicit. n. Apoſtolus. cauſſ. 26. qu. 7. add. l. 1. pr. C. de Vet. Jur. enucl. l. 1. & 2. C. de offic. Præf. Præt. Afr.*
Quo fundamento, a divina, ut ſupplex confido, benignitate jacto, ad 12
rem ipſam propius accedam Statutum Civitatis Patriæ penitius aliquanto conſideraturus. Ut autem a levioribus ad magis ardua, a facilioribus ad difficiliora ſenſim progrediar, primum imbecillitates atque obſcuritates, quæ tam in Scriptura, quam Oratione emendandæ
ſeſe offerunt, perpendam. Et quidem Scripturam priori loco exa- 13
minanti occurrit

(1) lin. 4. & 9. repetita vox **billig** quarum alterutram ſuperfluam
eſſe, facile judicabitur. Nam licet quidem verba repetita & gemi- 14
nata voluntatem enixam & conſtantem Llatoris indicent. *Baldus in l. fructus C. de act. Emt.* attamen id intelligendum de illis tantummodo, quæ aliquid operari poſſunt, dum omnia verba quid operari debent. *l. 3. pr. ff. de jurejur. l. 109. ff. de Legat. 1. cap. ſi papa. 10. de privileg. in 6to.*
Quoties vero vox quædam otioſe ac ſine virtute operandi repetitur, 15
tunc improbandum eam docet *Roland. a Valle conſ. 61. num. 16. & conſ. 62. num. 31. & ſeq. Cravetta conſ. 25. num. 3. aliique* cum nec una Syllaba in Lege vel ſtatuto ſuperflua & vacua debeat eſſe. *gloſſ. verb. tanquam in cap. ſolitæ x. de majorit. & obed. Baldus in rubr. ff. de contrah. Emt. qv. 9. Cravetta conſ. num. 3. & ſeq.* Cujus rei elegans Exemplum *vid. in L. 1. ff.*
quod metus cauſſa. Quandoquidem ergo in ſtatuto noſtro vox **billig** 16

 plane

plane otioſe ingeminatur, nec ullum effectum ejus repetitio habet,
patet per Interpretationem Emendatoriam Grammatico Criticam,
ſive ſcripturam ex Grammatica perfectione ſermonis immutantem,
de qua videatur Excellentiſſimus atque Conſultiſſimus *Dominus Plac-
cius* Patriæ Civitatis JCtus celeberrimus, Dominus Præceptor olim
meus, per integrum fere ſexennium longe fideliſſimus, nunc Pa-
tronus atque Fautor omni honoris & obſequii cultu æternum
venerandus, *in ICti ſui perfecti Edit. 2da, cap. IX. §. 2. add. XV. I. n. 3.*
alterutrum expungi, aut minimum pro expuncto ſatis commode
17 haberi poſſe. Nec eſt, quod quis forte exiſteme ταυτότητος figuram
huic repetitioni ſubeſſe. Præterquam enim quod multis Rhetoribus
ne quidem inter figuras ταυτότης numeretur, *vid. Voſſ. Inſtit. Orat.
Libr. V. cap. 3. num. X. Excell. Domini Placcii Additamenta Rhetorica Mssta
ad Kirchmanni Rudimenta Rhetor. Libr. 3. addit. 10.* figura hæc in ſe parum
delectans in ordinata repetitione ob tædium inde facile metuendum
vix uſurpabitur, niſi quoties cum ſimplicitate & affectu perturbante,
nec ordinandi ſpatium & conſilium relinquente Orator quippiam
18 ſit inculcaturus. Unde in ſtatutis noſtris ex præmeditato conſilio
ſimplici & plano ſtylo conſcriptis eam deprehendi parum ſit proba-
19 bile. Hæc de iterata voce **billig** dicta, applicari ac repeti multo magis
poſſunt, atque adeo debent, quando

(2) in Statuto exhibito legimus lin. 10. particulam **damit**, & lin. 12.
20 **hiemit.** Quarum alterutram ob ſupra memoratas rationes merito
delendam exiſtimaverim, cum alterutra ſola retenta lectio ſatis per-
21 fecta conſtet. Neque adeo diſſimile judicium eſt (3) de voce **ſo
wohl**, quæ lin. 5. legitur. Hæc enim Particula relativa ſeu reſpe-
ctiva eſt, ac reſpicit aliam Orationis partem, comparatum & ſimile
aliquod priori continentem *vid. Exempl. in L. 11. §. 3. ff. de injur. l. 57. ff.
de judic. l. 18. l. 22. §. 1. ff. de uſu & habit. l. 9. C. eod. l. 8. pr. ff. de V. S. ibique
22 Gœddæum num. 1. &c.* Hinc Feſtus *lib. 18. de Verbor. ſignific. in voce* TAM
ait: TAM, (cui reſpondet Germanicum noſtrum, **ſo wohl**) ſignifi-
cationem quandam præpoſitivam habet, cui ſubjungimus QVAM.
Quare quoties in Oratione quadam vocula TAM, ſive Germanicum,
ſo wohl reperitur, neque tamen in alia ejus parte ſequitur Particula
QVAM, aut in Germanica lingua idem exprimens, **als**, ſive ex-
plicite & expreſſe, ſive implicite, i. e. ſi in eodem ſermone plane
nihil

nihil ſubſequatur, quod cum priori ejus ſermonis membro compa-
rari poſſit, patet Particulam hanc comparativam, ſive reſpectivam
ſuperflue appoſitam eſſe, aut ex negligentia, vel præcipitantia forte
Amanuenſis cujusdam irrepſiſſe. Quod poſterius in Articulo noſtro 24
contingere admodum facile potuit ob inſequentem mox ejusdem
particulæ iteratam repetitionem. Interim cum omni plane correlato 25
careat, eandem ceu ſuperfluam, & plane inutilem ſtatuto noſtro,
per eandem, quæ modo adhibita fuit, declaratoriam, ſive Emendan-
tem Grammatico Criticam Interpretationem, ob dicta ſuperius exi-
mendam non immerito forte cenſuerim, ut & hac ratione perfectiſ-
ſima ſignificatio ſcripturæ Legis Patriæ vindicetur. Denique 26
(4) circa ſcripturam hoc etiam notandum reſtat, quod & illud ſo
wohl in lin. 6ta extans ſuperfluum videri poſſet, dum ejusdem corre-
ſpectiva Particula als non ſubjungitur. Cæterum ſi textum penitius 27
inſpiciamus, deprehenſu facile eſt, non deeſſe in illo revera, licet
aliquomodo id lateat, quod particulæ iſti ſo wohl reſpondeat, &
quæ invicem æquiparentur. Ita enim legitur: den Kindern, die ſo 28
wohl aus der erſten, andern und dritten Ehe gebohren: Nempe hoc vult 29
ſtatutum, quod mortuo altero conjuge, inter ſuperſtitem viduum
vel viduam & liberos ex primo & ſecundo, ÆQVE AC tertio matri-
monio natos diviſio ſecundum initas pactiones dotales ſit facienda.
Adeoque æquiparare vult Llator liberos ex diverſis matrimoniis na- 30
tos, quoad diviſionem hæreditatis parentum ſecundum pacta dotalia
legitime inita faciendam, ita ut ex quocunque fuerint matrimonio
progeniti, teneantur pacta dotalia a parentibus facta ceu normam
familiæ erciſcundæ obſervare. Eam ergo liberorum æquiparationem 31
exprimit per voculam ſo wohl, cui an ſubſequens particula copula-
tiva und ſatis reſpondeat, mutum dubito. Equidem apud Latinos 32
hæ binæ particulæ ſo wohl & als recte omnino per ÆQVE & AC (De
formula veteribus uſitata tam jure legeque *vid. Calvin Lex. Juriſ. &
Ricler de ſignific. adverbior. utroque in voc. tam)* efferuntur, an vero ger-
manicæ linguæ genius id pariter admittat, ut in Oratione reſpectiva
loco als und ponatur, vix meminerim. Imo ſtylus vulgaris & com- 33
munis germanicæ loquentium uſus.

Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.

Prout canit *Horatius de arte Poetica vers 72, add, l. ab. eo. 7. ſ. ff. de ſuppellect.*

pellect. legat. ejusmodi locutionem reſpuere atque rejicere videtur, dum experientia docet, quoties particula relativa **ſo wohl** præcedit,
34 ſemper eandem inſequi alteram correſpectivam voculam, **als**. Quæ omnia me movent, ut in ſtatuto noſtro τὸ **und** *in lin.* 7. in **als** convertendum firmiter credam, ut hic quoque planus atque perſpicuus quam maxime fiat ſermo iterum declaratoria Interpretatione, ſive Critica Emendatione, ſed ſubſtituente potius quam expungente. Qua in ſuperioribus merito contentus eram, ut minori correctione majorem evitarem *ex reg. 315. & 318. Excell. Domini Placcii ICt. perfect. Cap. 11. §. 8.* & rectæ rationi conſona communi Criticorum doctrina.

§. II.

Per vocem **erfordert**: *non intelligi requiſitos de facto, nec de jure & facto ſimul, ſed ſolum de jure.*

HÆc de ſcripturæ imperfectionibus, earumque emendatione per Interpretationem Emendatoriam Criticam Externam tradidiſſe
1 ſufficiat. Sequitur ut perpendam Orationem ipſam, & in illa latentibus imbecillitatibus remedium quæram. Hic autem præcipue conſideranda merebitur æquivocatio vocis **erfordert** *lin. 3.* utrum
2 intelligenda de requiſitis jure, an facto vel utroque? Equidem ſi ſecundum Leges Grammaticas Orationem æſtimem pro omnibus pronunciandum erit, cum grammaticus uſus iſta omnia admittat.
3 Sin vero mens Legislatoris inquiratur, ſtatutum per Interpretationem Mentalem ſive Hypercriticam perfectivam, electitiam *de qua Excell. Dominus Placcius ICti perfecti cap. 9. §. 7. addit. 16.* ad ſolos DE JURE requiſitos erit reſtringendum, tum ut Legi noſtri perfectio ſua conſtet, *l. in ambiguis 19. ff. de LLbus* & a ſumma videatur prudentia profecta tum quod reliqui bini ſenſus ſinguli ſuis non deſtituantur
4 imperfectionibus, aut Legem illis laborare faciant? Etenim 1. ſi requiſitos de facto tantum hic intellectos quis velit, inepta erit & ſibi contraria lex, quæ non requirendi jure, ut requirantur, exigit.
5 Præterea cum non probabile ſit Legislatorem voluiſſe quoslibet fortuito requiſitos & præſentes ſufficere ad validitatem & obligationem pactorum dotalium, ſed illos, de quorum præjudicio in illis pactionibus ageretur, (qui tales ſint, infra tractabitur *ſect. II. ad verb. requiruntur,)* non contra ejus voluntatem Oratio intelligetur. *Excell. Domi-*

Dominus Placc. l. c. c. 9. §. 2. reg. 150. Præcipue cum obſervantia fori & 6
conſuetudo optima Legum interpres *l. 23. l. 37. ff. de LLbus* abunde
teſtetur non quoslibet requiſitos ſufficere, prout etiam cauſſa Hin-
ſchen Erben contra Hinſchen Wittwe Anno 1683. ventilata edocet: qua
de re inferius pluribus. Pariter 2. neque de requiſitis tam jure fa- 7
ctoque ſtatutum noſtrum explicare poterit, ne aliud inde oriatur
abſonum. Si enim requirendi jure ut requirantur præciſe de facto 8
quoque, opus eſſet, ſequeretur, quaſi oblati ſponte ac vel alterutri
parti invitæ, eo minus obligationi requirantur, & ſi pacta ſubſcri-
bant atque ſubſignent, nihil agant. Quod enim de ſolennitate 9
ſubſtantiali alicujus actus eſt, id ſi omittatur, ipſe actus ipſo jure
nullus efficitur. *l. 9 §. 3. verſ. nam. ff. ad exhibend. l. 8. §. 17. ff. de trans-
action. Baldus in l. comparationes num. 5. verſ. tertio oppono. C. de fid. inſtrum.
aliique.* Reſtat proin, ut de ſolis requiſitis jure textum noſtrum in- 10
terpreter, cum ita perfectiſſimus eruatur ſenſus, Legislatoris vo-
luntati conſonus, dum nec actus fruſtraneus præcipitur, nec qui-
libet forte requiſiti ad hoc ut valeant pacta dotalia ſufficient, nec
referet, utrum jure requirendi ſpeciatim rogentur, an ultro ſeſe ad
confirmandas pactiones dotales offerant.

§. III.

Statuti de pactis dotalibus translatio Latina.

HÆc notatu æque ac emendatu circa ſcripturam & Orationem 1
digna viſa ſunt, quibus abſolutis ulterius progredior ipſius
ſtatuti Verſionem, toti dein Diſſertationi fundamentum præbituram,
exhibiturus.

Si pactiones nuptiales inter conjuges factæ ſunt, & ab illis, qui„ 2
ad obligationem (ſive validitatem, confirmationem) earum de jure„
requiruntur, ſunt ſubſcriptæ & obſignatæ; tunc etiam poſt unius al-„
teriusve obitum, inter ſuperſtitem maritum aut viduam, & liberos„
ex primo, ſecundo, tertio matrimonio prognatos, diviſio ſecundum„
facta pacta dotalia merito peragitur; Suntque utrinque hæc obſer-„
vare obſtricti ac eo ipſo Viduæ Electio ad ſtatuta vel pacta dotalia ſe„
allegandi ademta eſt, ſed oportet ipſam dotales conventiones ſequi.„

 §. IV.

§. IV.

Statuti interpretatio analytica, ſeu reſolutio in propoſitiones.

1 HAnc Patriæ Civitatis Legem qui accuratius paulo penſitaverit, facile obſervabit, alium inſuper præter ſupra jam notatos in eadem deprehendi defectum, Legibus omnibus ex ſermocinatione multa & plures propoſitiones continente compoſitis communem.
2 Nimirum cum de lege quavis ante omnia extra dubium ſit, eam eſſe Propoſitionem. *Excell. Dominus Placc. cit. l. cap. 3. §. 3. Illuſtris Dominus a Felde Element. Jur. Univerſi Part. 1. cap. 5. §. 16. & 18.* patet ſimul, ſi id, quod pro Lege venditatur a propoſitionis natura recedere contin-
3 gat, Legem ipſam inde imperfectione aliqua involvi. Recedit autem inter cœteros modos a Propoſitione Lex, ſi plures ipſa contineat terminos, quam qui ad unam requiruntur Propoſitionem. *Excell.*
4 *Dominus Placc. c. l. cap. VI. §. 7.* Quod ipſum in ſtatuto noſtro accidere cum manifeſtum ſit, & huic malo medelam afferre operæ pretium erit
5 futurum. Fiet autem hoc quam optime, ſi ope Interpretationis Analyticæ, *(de qua, nunquam ſine ſumma veneratione in partes mihi vocandus Excell. Dominus Placc. l. c.)* terminos (qui quidem hic non ſunt ratio Legis ſed eandem τῦ ineſſe vel non ineſſe, rationem cum prædicato obtinent) ſtatutum hoc conficientes, reſolvam, ab invicem ſeparem,
6 & propoſitiones ſingulas in formam Logicam redigam. Hic ergo primum propoſitiones ſimpliciter, prout in textu leguntur, exhibebo, dein eaſdem Categoricas Univerſales ſiſtam ductu accuratiſſimæ in hoc genere Logicæ Jungianæ reſolutas, & Logica ſua ſimplicitate citra occultationes formæ genuinæ, ſive crypſes non plane obvias & quotidianas cuique vel indocto agnoſcendas exhibendo. Imo earum etiam æquipollentes aut complexas ſive implicite comprehenſas propoſitiones, explicite quatenus opus aut utile videbitur, apponam. Unde argumento Legis citandæ deinde tanto clarius ſuam approbent deductiones inde factæ rationem, *vid. Excell. Domini Placcii ICti perf. cap. VI. §. 1. num. 6. 7. & §. 7. n. 10.* Hæ propoſitiones ſive Enuntiationes itaque ſic habent.

7 I. Si Pacta dotalia inter Conjuges facta & ab illis, qui ad obligationem eorum requiruntur, ſunt conſummata, ſubſcripta & obſignata, tunc diviſio bonorum poſt alterutrius conjugis obitum inter ſuper-

ſuperſtitem & liberos ex quocumq; Matrimonio natos, ſecundum illa merito peragitur.

8 Hæc Propoſitio in ſe ſpectata indefinita *vid. Jung. Logic. Hamburgenſ. l. 2. cap. 4. §. 33.* imo hypothetica *Jung. c. l. c. 13. §. 9.* ad definitam & Categoricam reducenda non fiet univerſalis (qualiter tamen omnes indefinitæ regulariter accipiendæ *Dominus Feldenus Tr. de Scientia Interpret. P. 2. Libr. 1. c. 2. membr. 2. art. 1. n. 6.* ubi Exemplum *ex l. 98. ff. de Legatis. 3.* ſuppeditat.) appoſito ſolo ſigno univerſali, niſi ſubjectum de pactis dotalibus per omnia legalibus reſtringendo accipiatur. Quo facto talis erit:

9 Omnia pacta dotalia inter conjuges legitime facta, & ab illis .... &c. obſignata, operantur, ut bona relicta defuncti conjugis inter ſuperſtitem conjugem, & liberos (imo his deficientibus reliquos hæredes ejus, prout infra docebitur) ſecundum illa dividantur.

10 Quæ enuntiatio etiam excluſiva hic habenda, ut in omni Lege definiente vel determinante præciſe requiſita vel naturam negotii alicujus aut actus. Ubi non expreſſa hoc ipſo excluſa cenſentur, & argumentum a negativa Legis affirmantis valide ducitur, Erit ergo excluſiva hæc talis.

Sola pacta dotalia per omnia legalia, & ab illis &c. obſignata operantur, ut &c.

Ejus complexa, ſive implicite contenta & comprehenſa hæc porro eſt.

O Pacta dotalia, quæ operantur, ut defuncti bona ſecundum illa dividantur, illa ſint oportet per omnia legalia, &c. Cui contraponetur, ſive æquipollebit hæc per contra-poſitionem *v. Jung. Log. l. 3. c. 3. §. 10. & ſeqq.*

Quæcunque pacta dot. non ſunt per omnia legalia, non ſunt conſummata &c. illa non operantur, ut diviſio bonorum ſecundum illa peragatur.

11 II. Si Pacta dotalia inita & conſummata ſunt, tunc æque unus ac alter contrahentium ſunt obſtricti eadem obſervare.

12 III. Si Pacta dotalia inita & conſummata ſunt, tunc viduæ Electio ademta eſt, ad Pacta dot. aut ad Jus ſtatutarium confugiendi.

13 IV. Si Pacta dotalia inita & conſummata ſunt, tunc oportet viduam illa præciſe ſequi.

Quæ Propoſitiones quandoquidem eandem cum prioribus habent naturam pariter ac illæ fient Categoricæ Univerſales, h. m.

O Pacta dot. legitime inita & conſummata ſunt ab omnibus eadem contrahentibus obſervanda.

O Pacta dot. legitime inita & conſummata adimunt viduæ (imo generaliter defuncto altero conjuge, ſuperſtiti conjugi & ſucceſſuris heredibus) Electionem ad Pacta dot. vel jus ſtatutarium confugiendi.

O Pacta dot. legitime inita & conſummata faciunt viduam (& generaliter omnes heredes) illa ſequi oportere.

Quomodo autem ex iſtis propoſitionibus excluſivæ fieri, quomodo dein inverti, & qualem demum contra poſitionem admittere poſſint, priores binas cum his comparaturo, Logicaque præcepta adhibituro facile liquebit.

§. V.

Loca parallela ſtatuti varia num. 1. ſeqq. Varia Lectio & declaratio Part. III. tit. 1. art. 18. juris ſtatutarii num. 4. ſeqq. Origo ſtatuti de P. D. Mores antiqui Germanorum n. 13. ſeqq. Hodie ſubſcriptio ſola ſufficit. num. 20. Harmonia ſtatuti cum aliis juribus & ſtatutis Germanicis. n. 21. ſeqq. ac Legibus antiquis. n. 32. ſeqq.

1 HActenus tradita argumentum ſtatuti ante oculos nobis ſiſtunt, quod ad unicum ſummum Caput, non incommode revocabitur. Nempe Pacta dotalia legitime inita & conſummata præciſe ſunt ſervanda.

2 Jam neceſſarium videtur ex monitu Gaji atque Pomponii *in l. 1. & l. 2. pr. ff. de O. I.* Patriæ Legis originem atque Proceſſum, & quæ
3 alia ad Hiſtoriam ſtatuti facere poterunt paucis demonſtrare. Et quidem initio inquiram loca Parallela juris ſtatutarii Receſſuumve aliorum Hamburgenſium huc pertinentia. Inter quæ occurrit.

1. Stat. P. 2. tit. XI. art. 12. diſponens quod conjugum alteruter poſt factas pactiones nuptiales teſtamentum ordinaturus, in ultimo ſuo elogio pactionibus ante initis & conſummatis præjudicium facere aut derogare plane nequeat.

4 *2. Stat. P. 3. tit. 1. art. 18.* quando conjuges bona ſua ſibi invicem donant habituri ſcil. communionem bonorum deficientibus liberis, nec quisquam huic donationi intra annum contradicit, tunc eadem valere

valere jubetur. Cui ſtatuto, prout idem in Libro ſtatutorum impreſſo 5
exhibetur, omnino conſonat *Mſſtus Codex de anno 1497. tit. K. ſive X. art. 5,*
Inferioris Saxoniæ Dialecto conceptus, ita ſonans:

War eine Fraue und ein Mann ſyn, de ere Gud thoſamen the geven, unde ſe nene Kinder hebben, unde wedderſprecket de gift nemmende binnen Jahr und Dag, ſo ſchal de gifte tho rechte ſtede weſen. War avers de gifte byſpraket, de ſchal ſe binnen Jahre und Dage unſtede maken, mit vulkamener angeſtelter Klage, darop der Raht mag beſchecken, und reckt ſprecken nachmahls want em belevth.

A quo non nihil differt Vetuſtiſſimus Codex membranaceus de 6
Anno 1270. quem Excell. Dominus Placcius poſſidet, in quo ſtatutum
hoc ita legitur C. ſive tit. III. art. 9.

So war ein Mann u. ein Vrowe ſint, the ehre Goet toſamme gevet, und ſe nene Kindere ne hebbet, u. wetherſprecht the gift nemmende binnen Jar und Dage, the gift ſcal tho rechte ſtede weſen, it ne ſi alſo, that the negeſten Vrint buten Landes ſi, und thar en hevet he ſine Clage nicht mede verlaren: So we aver the gifft biſprecket, the ſcal ſe binnen Jar u. Dage unſtede maken.

Cum qua lectione concordat Codex Anni 1277. niſi quod loco
binnen Jar und Dag habet by Jar und by Dag utrobique. Cæterum 7
hoc loco nec illud prætermittendum videtur quod modo citatus art. 18.
in reformatoriis notis Domini Vincentii Garmeri JCti & Proto Syndici Hamburgenſis meritiſſimi, aliquomodo immutatus atque declaratus ſit. Et licet quidem hæ notæ nunquam promulgatæ ſint, aut 8
publica auctoritate confirmatæ, attamen cum multa JCtorum celebriorum Patriæ Civitatis Praxi exploratum ſit ſæpiſſime eaſdem in judicando obſervari, non pigebit ex Mſsto ipſius eandem adſcribere.

Wann ein Frau und Mann ſeyn, die ihr wohl-gewonnenes Gut, ſo 9
ſie jetzo haben, und künfftig erlangen möchten, zuſammen geben, dieſelbe Gabe ſol ſtet und kräfftig ſeyn, da ſie aber ihr Erbgüter durch ein reciprocum Pactum, oder letzten Willen einer dem andern vermachen würden, und dieſelbe Gabe niemand binnen Jahr und Tag nach auffgerichteter Vergleichung, oder woferne ſolches durch ein Teſtament geſchehen in Jahr und Tag nach des einen Abſterben wiederſprechen würde, ſo ſoll auch ſolches ſtete gehalten werden.

3. P. 3. tit. III. art. 2. præcipiens quod ſi liberi certis bonis a paren- 10

tibus dotati ſint, ac ipſi cum duobus proximoribus cognatis tempore
contracti matrimonii iisdem contenti ſint, poſtea cum fratribus ſo-
roribusve ſuis reliquis in bonis parentum non ſuccedere, niſi aliud
pactum atque conventum ſit. *conf. ſtat. 3. IV. 2.*
11 *4. P. 3. tit. III. art. 8. & 10.* qui expreſſis verbis diſponunt, quod
jura ſucceſſionis ab inteſtato nullum ſibi locum vindicent, quoties
Pacta dotalia ſucceſſionis modum & formam determinant.
Hiſce Libri ſtatutarii locis adjungi merebitur.
12 *5. Rec. de anno 1603. art. 15.* ubi dicitur, quod quoties fœmina vel
luxuriæ ergo, vel in præjudicium legitimorum heredum nubat, ma-
ritus eandem in matrimonium ducturus cavere debeat, de non im-
minuendis aut conſumendis bonis ad uxorem pertinentibus; & in
fine dein additur: Quicquid maritus occaſione horum bonorum
acquiſivit, aut in pactionibus cum cognatis uxoris *initis* ſibi reſer-
vavit, eo libere fruetur.
13 Perſpectis ita locis Jurium Hamburgenſium parallelis, quæ ſta-
tuti noſtri fuerit origo, quæ in ſequentibus temporibus mutatio ejus
contigerit vel per mandata ſubſecuta, vel per conſuetudinem in-
dagandum foret; ſed ut verum ingenue fatear, nil quidem certi hic
definire habeo, cum in veteribus ſtatutis nihil de hoc argumento
reperiatur, & reliqua Hiſtorica monumenta expreſſe hac de re agentia
14 deficiant. Interim ſi conjecturæ & præſumptioni locus ſit, dicendum
videri poteſt, ſtatutum hoc originem ſuam traxiſſe ex antiquorum
15 Germanorum moribus atque inſtitutis. De his enim *ex Tacito de
moribus Germanorum* conſtat, quod cognatos & propinquos advoca-
16 verint, quando Matrimonia inibantur. »*Quippe dotem*, inquit *Tacitus*
17 »*non uxor marito, ſed uxori maritus offert. Interſunt parentes & propinqui,*
»*ac munera probant.* Imo non obſcure innuit Tacitus cognatos ſæpiſ-
»ſime in conſilium adhibitos, eorumque non exiguam fuiſſe reve-
»rentiam, dum de adulterii rea tradit, *quod accîſis crinibus nudatam*
»*coram propinquis expellat domo maritus:* & paulo poſt: *Quanto plus*
»*propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratioſior ſenectus, nec*
»*ulla orbitatis pretia, ſuſcipere tam inimicitias ſeu patris ſeu propinqui, quam*
18 »*amicitias neceſſe eſt.*» Hæc Tacitus: Interim cum admodum probabile
ſit, (quemadmodum magis etiam ex illis, quæ in fine hujus §phi ex
Lindenbrogio ſubnectam, patebit) hos mores Germanorum ad ea
usque

usque tempora (Seculum nempe XIII.) quibus Majores noſtri ſta-
tuta Patria condiderunt, permanſiſſe; videtur quoq; quod hac con-
ſuetudine moti Pacta dotalia non ante conſummata fore ſanciverint,
niſi a Cognatis & propinquis fuerint ſubſcripta atque obſignata.
Quod vero eadem inſuper adeo ſtricte obſervanda præceperint, id 19
naturalem ipſis dictitaſſe æquitatem dubio procul eſt. De Cætero 20
Lege hac a Majoribus rogata, inſequentibus temporibus eandem vel
per mandata ab Ampliſſimo Senatu promulgata, vel per decreta in
Spectatiſſimo Conventu civico confecta, vel per contrarias conſue-
tudines immutatam eſſe dici non poteſt, cum experientia docet, eam
in viridi adhuc eſſe obſervantia, niſi quod ſola ſubſcriptio hodie ſuffi-
cere ac obſignatio ab uſu receſſiſſe videatur, quemadmodum ex variis
Inſtrumentis authenticis olim a me inſpectis obſervavi. Reſtat nunc 21
ut brevibus etiam ſpeculer, quomodo vicinarum gentium & Civi-
tatum *l. 32. pr. ff. de LLbus l. 34. ff. de R. I.* jura ſtatuto noſtro vel con-
gruant, vel ab eodem diſcrepent, & quid certi inde forte de ſtatuti
noſtri origine colligi queat, perpendam. Hic autem a Jure Saxo- 22
nico non immerito forte initium faciam, cum illud & antiquitate &
famæ celebritate nec non multarum adeo gentium approbatione ac
obſervantia præ reliquis ſeſe commendet. Hoc ergo ſive antiquum, 23
ſive recentius ſpectemus plane Legi Patriæ conſentit, quippe ita *gloſſa
ad* Weichbild *art. 22. pag. 42. col. 2.* Gelobet ein Mann ſeinem Weibe
vor dem Hochzeit-Leuten eine Morgengab, er beſtätige die Morgengab
vor Gericht oder nicht, das Weib behält die Morgengab auf den Hei-
ligen (i. e. juramento obtinet mulier morgengabam) und die Gewehr,
da die Morgengab auffgegeben was, mit Gezeugen billiger und mit meh-
rem Recht, wenn ſie des Mannes Erben davon geweiſen mögen, *ut*
Landr. *art. 20.* ubi hæc habentur: Morgengab (i. e. dasjenige, welches
der Mann ſeinem Weibe des Morgens giebet, nicht aber die Gab, wel-
che der Hochzeit halben geſchiehet, prout exponit *gloſſ. add. art. 20.*)
behält das Weib auff den Heiligen ohn Zeugnüß. quod latine ibidem
ita vertitur: Dotem mulier obtinet cum juramento ſine teſte: ut vel
hinc colligas priſcorum Germanorum morem, (cum quo etiam
concordarunt Wiſigothorum aliorumque ritus, ut videre eſt ex Le-
gibus ipſorum antiquis, quas exhibet *Lindenbrogius in Codice Legum
antiquarum & quidem Wiſigothorum l. 3, t. 1. l. 5. tit. 2. l. 8. & lib. 4. tit. 5.
l. 2.*

l. 2. lib. 5. tit. 2. l. 4. adde app. eund. ibid. formul. ſollennes num. 75. & ſeqq.)
quem *ſupra ex Tacito num. 16.* retuli, quo dotem non uxor marito, ſed
uxori maritus offerebat, etiamnum tempore conditi Juris provincialis
24 viguiſſe. Hæc ex Jure Saxonico antiquo: Clarius vero etiam jus
recentius Electorale cum ſtatuto noſtro convenit, quando *in Part. 2.*
conſt. 42. a Sereniſſimo Saxone diſpoſitum legimus quod pactis do-
talibus factis ea ante omnia ſint obſervanda, & in judicando atten-
25 denda. Sed ex Saxonia in Electoratum Brandenburgicum tranſiens,
egregiam certe cum ſtatuto noſtro ibidem depræhendo Harmoniam,
ſiquidem in *Brandenb. El.* **Erbfals Ordn.** *de 1527. tit. prim.* §. **was in**
2. & **in Verbeſſ. Cammer G. O.** *Colon. de 1592. p. 2. l. pr. & p. 3. t. 4.*
non modo pactiones dotales ſervandas eſſe præcipitur, ſed & ſu-
perſtes conjux poſt obitum alterius variare poſſe ſtatutum eligendo,
26 negatur. *vid. Gieſſebert. Peric. ſtatut. 2. ad art. 34. num. 248.* In Holſatia
quid obtineat, cum hæc, (ſiquidem olim me ita audiviſſe recte
memini,) Imperii jure communi utatur, infra dicetur, ubi ſtatutum
27 noſtrum cum Jure civili comparabimus. Interim hoc ex *Gieſſebert.*
l. modo cit. conſtat. Ditmarſorum non modo antiquum **Land R. R.**
i. e. librum provincialem *mſpt. de anno 1447* **vanfry.** *20. art. 4. ed. in*
fol. anno 1485. & in 4to 1539. ſed & Jus Provinciale noviſſimum promulgatum
anno 1567. Eiderſtadenſium, **Land-Recht** *de anno 1572. tit.* **van Bruht**
38. §. fin. Friderichsſtadenſium **Stadt-R.** *de 1633. p. 2. f. 2. tit. de mut.*
2. art. pr. & t. de hered. 4. art. 10. & 11. & t. de dote 19. art. **wann** 3.
Huſumenſe **Stadt-R.** *de 1608. p. 2. tit. 17. pr.* Luneburgenſium
Stadt-Recht. *art.* **ob ein** *8.* aliorumque multorum populorum jura
ſtatutaria, quæ collecta *vid. ap. Gieſſebert. l. c.* cum ſtatuto noſtro idem
diſponere ac primam pactorum dot. ante portionem etiam ſtatuta-
28 rium rationem haberi velle. Pariter Bremæ ſecundam notam ibidem
conſuetudinem conjuges quando in pactis dotalibus aliud conven-
tum eſt, ex ſtatuto ſibi non ſuccedere, notat *Koch in Collatione diffe-*
rentiarum Jur. Civilis, Saxonici, Bremenſis &c. ſub tit. Pacta de univerſali
29 *ſucceſſione add. ex Gieſſebert.* **Bremer Ridder-R.** *de 1577.* Lubecenſium
denique jus, quamvis expreſſe nihil de conventionibus nuptialibus
definiat: attamen juris illius interpres celeberrimus *Dominus Mevius*
ad Part. 2. tit. 1. num. 98. & ſeqq. & ad tit. 2. art. XII. num. 363. & ſeqq.
ſatis innuit, & horum pactorum non exiguum Lubecæ eſſe uſum.
Imo

Imo cur operoſe adeo ſingularum gentium Jura inquiro, cum Teu- 30
toniæ univerſali conſuetudine Pactiones dotales, etiamſi diſpoſitione
Juris communis non nitantur, valeant. *Treutler. vol. 2. diſp. 7. θ. 7. a.*
& Bachov. ad h. l. Struv. Syntagm. Iur. Civ. Exerc. 30. θ. 19. Hahn. ad We-
ſenbec. Paratitl. ff. de pact. dot. num. 4. verb. tamen moribus paſſim. Carpz.
Iurisprud. for. P. 2. conſt. 43. def. 1. num. 1. & Ddres hodie communiter. Quæ 31
univerſalis Germaniæ conſuetudo non parum me movet, ut exiſti-
mem, eam antiquiſſimis temporibus exortam ad noſtra usque tem-
pora perduraſſe, nec jure Civili in Germaniam introducto (quo
ejusmodi pacta dotalia, qualia apud Teutones frequentantur, pro-
hibentur,) ob ſummam ſuam æquitatem tolli potuiſſe, præcipue
ubi demum diverſarum gentium Legibus particularibus jam compo-
ſitis, in ſcriptis adeo eadem erat conſignata, & expreſſo Llatorum
conſenſu approbata. Cujus rei adeo multa in antiquis diverſorum 32
Germaniæ populorum Legibus veſtigia deprehendere licet. Ita enim 33
in LLbus Alemannorum, quas *ſupra citatus Lindenbrogius in Cod. LLum*
antiquarum exhibet & tempore Clotarii Francorum Regis adeoque
Sec. VII. compoſitas ex prologo earum conſtat, l. LV. legitur.
Si quis liber mortuus fuerit, & reliquit uxorem ſine filiis aut filiabus, & de»
hereditate exire voluerit, & nubere alii ſibi coæquali, ſequatur eam dotis»
Legitima; & quicquid parentes ejus legitime placitaverint.» Magis vero 34
perſpicue idem exprimitur in *Legibus Ripuariorum* ab eodem *Linden-*
brogio publicatis, ubi *l. 37.* hæc habentur: *Si quis mulierem deſponſa-*
verit, quicquid ei per tabularum, ſeu chartarum inſtrumenta conſcripſerit,
perpetualiter inconvulſum permaneat. Porro in *Legibus Saxonum*, quas 35
etiam tres Nordalbingorum populos, Sturmarios, Holſatos, &
Thietmarſos obſervaſſe *Helmoldus in Hiſtor. Slavor. lib. 1.* aſſerit, apud
ſæpe laudatum *Lindenbrogium* deprehenditur *l. 7.* quod *qui viduam*
ducere velit, offerre debeat tutori pretium emtionis ejus (nempe more anti-
quo mariti uxores ſibi emere ſoliti: qua de re veſtigia in his LLbus
antiquis paſſim & *Briſſonius in pecul. tract. de ritu nuptiarum* videri me-
retur) *conſentientibus ad hoc propinquis ejus. Si tutor abnuerit, convertat*
ſe ad proximos ejus, & eorum conſenſu accipiat illam. Denique generatim 36
Carolus Magnus, Ludovicus Pius in Capitulis apud eundem Lindenbrogium
libr. 6. cap. 147. Pacta vel placita, quæ per ſcripturam legitime ac ju-
ſtiſſime facta ſunt, dummodo in his dies vel annus ſit evidenter ex-

 pres-

preſſus, immutari non permittunt, ſed vetant filio vel heredi contra
priorum juſtam aut legitimam definitionem venire, quia juſte re-
pellitur præſumptio illius, qui facta ſeniorum injuſte conatur in-
37 rumpere: ut legitur *cap. ſeq. 148.* His antiquorum Teutonum Le-
gibus addi omnino merentur inſtrumenta donationis inter virum &
uxorem bina, ac conſtitutionum dotis, quæ revera nil aliud quam
pacta dotalia ſunt, & conſpiciuntur in *formulis ſolennibus* a Marculpho
tempore Landerici Papæ collectis, & a Lindenbrogio noſtro editis
38 *num. 49. 50. 75. 76. 77. 78. 79. & 80.* Quæ cum ob prolixitatem ſuam
verbotenus hic exhibere nolim, vel hæc inde excerpſiſſe ſufficiat:
quod in ſcripturam hæc pacta redigi neceſſum fuerit, quod hæredes
eadem impugnare, niſi ſub pœna certa fiſco & ſuperſtiti conjugi
ſolvenda nequiverint, denique quod propinquorum etiam conſen-
39 ſum adhibuerint. Quæ omnia hucusque tradita in eam me adducunt
opinionem atque ſententiam, ut ſtatutum patrium priſcis Germano-
rum inſtitutis atque bonis moribus, qui apud ipſos plus valebant,
quam alibi bonæ Leges; *teſte Tacito de morib. German.* & hinc ortæ con-
ſuetudini expreſſis dein Legibus approbatæ originem ſuam debere
firmiter credam.

SECTIO II.

Notas reales ad Intellectum ſtatuti facientes, & naturam Pactorum dotalium exponentes continens.

HActenus Statuti externa oratione, argumento item atque Hiſtoria conſiderata e re futurum videtur, ut indagetur, quis nucleus ſub verborum cortice lateat, ſive quæ oratio interna & conceptus mentis per externam orationem repræſentetur. Quod ipſum vix commodius fieri poſſe arbitror, quam ſi ἐξήγησιν quandam Statuti proponam. Ita enim ſingula fere verba quid denotent, ponderare atque examinare licebit.

SI

denotat hæc particula exceptionem a regula.

NOtanter Lex patria orditur a vocula *Si*, indicans ſcilicet conditionem aliquam probe attendendam, ita ut hac exiſtente diverſum quid ab eo, quod alias regulariter fit, ſequatur. Nempe regula in Libro Statutario noſtro eſt, *vid. Statut. 3. III. 8.* quod conjugum altero defi-

deficientibus liberis defuncto, ſuperſtes ex prædefuncti bonis relictis, deducto pro rata prius ære alieno, vidua ſemiſſem, viduus vero beſſem capiat. Hoc regulariter in civitate noſtra obtinet atque ſervatur. Sed quod in trito omnibus axiomate dicitur: Regulam nullam tam firmam eſſe, quæ non patiatur exceptionem, illud & hic oppido deprehenditur, ſiquidem propoſitæ in Jure Statutario regulæ illico ſubnectitur Exceptio in verbis: Es wäre dann in der Eheberedung ein anders beliebet, auf welchen Fall ꝛc. niſi in pactis dotalibus aliud conventum, quo caſu &c. Ut ergo omnibus liqueret quid illo caſu, illave conditione, quoties nimirum conventiones nuptiales conjuges fecerunt, exiſtente, juris eſſe debeat, hinc Majores præſentem Legem noſtram rogarunt, & propoſita Particula *Si* conditionem illam determinarunt.

PACTA DOTALIA.

Pactorum dotalium Synonyma Germanica, Autores de pactis dotalibus, Pactorum Dot. definito nominalis & realis. Jure Hamburg. P. D. non fiunt per modum ultimæ voluntatis. Matrimonium eſt contractus. Exponuntur reliqua verba definitionis. Diviſiones P. D. alienæ & congruæ. Qui faciant P. D. Eorum Affinia.

GErmanice Ehezärter *ut hic*, alias Eheberedungen, *ut Stat. nri. 3. III. 8.* Eheſtifftungen *Conſtit. Elect. Sax. P. 2. conſt. 43.* Ehepackten *Lauterb. comp. Jur. ff. de pactis dotalibus*, Heyraths-Abſchied, Heyraths-Packt. *Beſold. theſ. Pract.* Ehe-Receſs, *Dilher. addit. ad Beſold.* Heyraths-Verſchreibung, Heyraths-Brieff, *in Reformat. Francof. ad Mœn. p. 2. tit. 3. §. apud Wehner. Obſerv. Pract. voc.* Ehemann, Ehefrau, Heyraths-Abred. *Authæi Supplem. ad Obſervat. Pract. Wehneri voc.* Ehezärter. De Pactis dotalibus agit Statutum noſtrum: De Pactis dotalibus aget & Diſſertatio præſens. Equidem argumentum hoc multi ſubinde Doctores prolixis ſæpe voluminibus pertractarunt. Ut enim ſilentio prætercam, qui incidenter de themate hoc ſcripſerunt, quantus quæſo eſt ipſorum numerus, qui ad titt. ff. & C. de pact. dot. commentati ſunt? Magis vero etiam quæſtiones huc facientes ventilarunt, qui ex profeſſo materiam hanc elaborandam ſibi ſuſceperunt. Quales quidem, qui mihi innotuere, ſunt: *Joh. Petri Fontanellæ* Capitula matrimonialia, ſive de pactis nuptialibus Tomi II. in fol. Venet. 1641. & Genev. 1659. ac 1667. editi. *Cornel. Neoſtadius* de pactis antenuptialibus; Lugduni Batav. in 4. Anno 1614. 1620. it. Arnhem.

 1658.

1658. *Abraham a Weſel* de connubiali bonorum ſocietate & pactis dotal. Amſtelod. 1674. in 4to. *Joh. Lindener* Diſp. Inauguralis de pactis dot. Argentor. 1639. Illuſtris ac Magnifici b. m. *Dn. Meureri*, Conſulis olim noſtri meritiſſimi ſub præſidio Taboris Diſp. ad tit. ff. de pactis dotalibus, Gieſſ. in 4to 1664. *Andreas Kohl* de pactis dotalibus & ſucceſſione conjugum. Lipſ. in 4. A. 1671. Quæ Doctorum copia me deterrere forte poſſet, ne argumentum ab ipſis dudum occupatum & fuſe pertractatum denuo aſſumam, & crambem ſæpe coctam recoquam: verum perpendenti mihi plerosque ipſorum Pactionum nuptialium naturam ſecundum ſolius Juris Civilis Leges expoſuiſſe, & conſvetudinem generalem hoc in themate maxima ex parte diverſam a moribus & conſuetudine Patriæ Reip. *(add. hic Præfat. quam Illuſtr. Dn. Meurer p. m. Diſputationi ſuæ modo cit. præmiſit, & de Fontanella judicium. cap. 5. §. fin.)* licebit, ſpero, cum pace ipſorum, telam ſemel cæptam pertexere, præcipue cum animus incitatus objurgatione Servio a Quinto Mutio facta *in l. 2. §. 43. ff. de O. J.* inclinet demonſtrare potiſſimum, quid hodie in ſuaviſſima Patria Civitate circa Pacta dotalia obtineat atque obſervetur. Alacriter proinde in opere cæpto pergens & de pactis dotalibus tractaturus ante omnia obſervandum cenſeo, monitum *Ulpiani in l. 1. pr. ff. de J. & J.* & indagandum, unde nomen pactorum dotalium deſcendat. Appellata autem olim inde ſunt, quod Juri dotium legem dederint, adeoque ab objecto nomen habent *l. 10. C. de pact. Treutler. vol. 2. Diſp. 7. θ. 7. Illuſtr. Dn. Meurer cap. 1. §. 1.* Olim enim tantum ſuper dote & donatione propter nuptias nec non paraphernis, imprimis tamen dotis reſtitutione *vid. Dn. Struv. S. J. C. Exerc. 30. θ. 17. add. dot. tit. ff. & C. de pact. dot.* interponebantur, unde definiuntur etiam *Lauterbach. compend. Iur. ff. h. t.* quod doti legem & formam dent, *& a Dn. Menken. ad. Struv. Jurisprud. lib. 1. t. 5. §. 1. & 3.* conventiones inter conjuges, vel eos, qui dotem dant, promittunt, ſuſcipiunt, aut repetere poſſunt. Et licet hodie ex conſuetudine Germaniæ longe plura quam antiquis temporibus hiſce pactionibus contineantur, nomine tamen ſemel recepto ſemper etiamnum veniunt. Homonymiam eorum & Synonymiam exponit *Illuſtr. Dn. Meurer. c. l. §. 1. & 2. quem vide.* Circa Definitionem illorum non immerito ſolicitus ſum. Quippe definitio initium omnis diſputationis: *Monet. de diſtribut. quotid. p. 1. qu. 1. n. 1.* & omnis quæ a ratione ſuſcipitur de re aliqua diſputatio debet a Defini-

finitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur, *Cic. l.1. de offic. cap.1.* Alioquin enim vagari & errare cogetur oratio, ſi ii, qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud, de quo agitur, intelligant. *Cic. l.1. de Orator. add. Cævallos in præf. Spec. aur. Opinion. comm. contra comm. num. 2. & ſeqq.* Definiri autem quam optime ſecundum hodiernos Germanorum & præprimis Patriæ mores pactio dotalis poſſe videtur, quod ſit pactum matrimonii contractui adjectum ſuper dote, donatione propter nuptias & paraphernis, nec non futuram conjugum ſucceſſionem aliaque in matrimonio a conjugibus, vel etiam finito per mortem alterius conjugis a conjuge ſuperſtite obſervanda determinans. *vid. Illuſtr. Dn. Meurer, c. l. §. 3. Illuſtr. Dn. Stryke de cautel. contract. Sect. 3. cap. 8. §. 2. 3. Dn. Struv. c. l. θ. 19.* Dico Conventionem dotalem eſſe *pactum*, cui obſtare videtur, quod a Doctoribus unanimiter traditur, celebrari pacta dotalia vel per modum actus aut contractus inter vivos, vel per modum diſpoſitionis ultimæ voluntatis. Priora mutuo diſſenſu, poſteriora etiam unius revocari poſſe. *vid. Cothman. vol. 1. conſ. 21. n. 19. Weſenbec. paratitl. ff. de pact. dot. num. ult. Carpz. Jurisprud. for. P. 2. conſt. 43. def. 10. & ſeqq. Dn. Struv. c. l. Illuſtr. Dn. Meurer. c. l. cap. 7. §. 2. Illuſtr. Dn. Stryke c. l. §. 16. Mevius ad Ius Lubec. P. 2. t. 1. n. 100.* aliique. Adeoque poſteriora non videntur pacta poſſe dici, *vid. cap. 3. conſ. 1. adjecti, Diſp. Illuſtr. Dn. Meureri* cum hæc regulariter ſint ſervanda, *l. 1. §. 6. ff. depoſit. l. 1. ff. de pact.* nec contra pactum ſuum ulli venire liceat. *l. 13. ff. comm. præd.* quippe hæc ab initio quidem voluntatis ſunt, poſtea vero fiunt neceſſitatis *l. 12. in f. C. de contrah. emt. l. 22. §. 11. ff. mandat. l. 5. C. de obligat. & act.* Cæterum obſervandum exiſtimo, in patria dulciſſima pacta dotalia concipi tantum per modum contractus inter vivos inii, non vero etiam per modum diſpoſitionis ultimæ voluntatis. Si enim per modum diſpoſitionis ultimæ voluntatis quoque iniri poſſent, tunc voluntate mutata ab altero ineuntium, mutari quoque illa poſſent per aliam ultimam diſpoſitionem, cum ambulatoria ſit cujusque ultima voluntas ad extremum usque vitæ exitum. *l. 4. ff. de adimend. vel transfer. leg. l. 32. §. 3. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 22. pr. de legat. 3. add. Statut. Hamb. P. 3. tit. 1. art. 37.* At vero Hamburgi pactiones nuptiales per ſupremum mentis teſtationem immutari nequeunt *ſec. Stat. H. 2. XI. 12. add. 3. I. 18. & 19. contr. l. 1. §. 1. ff. de dot. præleg.* Sequitur ergo ut confectæ ibidem conventiones dot. non per modum teſtamenti, ſed contractus

fuerint conceptæ. *add. Ill. Dn. Meurer. c. l. cap. 7. §. 3.* Ut ſilentio omittam, circa teſtes adhibendos longe aliam eſſe fori noſtri praxin, quam quæ communi Doctorum ſuffragio docetur. Hi enim ad minimum 5. teſtes ad pactorum dot. per modum declaratæ ultimæ voluntatis conceptorum eſſentiam requirunt: at in ſtatuto nullus numerus præciſe determinatus: qua de re infra prolixius. Dixi porro *contractui matrimonii illas adjici*, nec me latent, quæ *Locamerus, Martini, aliiq; ad princ. voc. contrahunt I. de Nupt.* tradunt, quod matrimonium contractibus annumerari nequeat, ex quibus obligatio vel actio naſcatur. Nam licet forte contractibus conſenſualibus *in tit. I. de obligat. ex conſenſu* conſideratis nuptiæ ſpeciatim non annumerentur: attamen ſatis commode contractus (voce late ſumta, quatenus continet omne pactum *Calvin. Lex Iurid. in voc. Contractus a contrahendo, add. Excell. Dn. Placcii Suppl. t. ad. §. 1. I. de obligationib.*) poterunt appellari: unde Germanis etiam Eheverbündnüß dicuntur *add. Stat. H. 2. XI. 1. ibi* verbinden. Imo ſi hoc κριτήριον eſt contractus, *ex Locameri* aliorumque ſententia, ut actio inde naſcatur, nuptiæ contractibus recte accenſebuntur, cum multæ variæque ex ſponſalibus, nuptiisque contractis oriantur actiones, ut cuilibet inſpecturo *Excell. Dn. Placc. Tract. de Action. Part. poſt. Sect. prior. §. 24. act. 90. & ſeqq. ibid; citatum Harſoltum in adverſariis ſuis, & Magnific. Dn. Svendendorfferum Antecesſorem Lipſienſem celeberrimum* pateſcet. Utrum vero ante nuptias vel manente matrimonio adjiciantur, nihil intereſt. Utrumque enim & Legum auctoritate *vid. l. 1. pr. l. 12. §. 1. l. 29. de pact. dot. add. Stat. H. 3. I. 18. v. Treutl. vol. 2. d. 7. §. 7. b. ibid; Bachov.* & conſuetudine approbatur, prout *acta in cauſa* Hinſchen *contra* Hinſchen oſtendunt. Interponuntur autem Pacta dot. Principaliter *ſuper dote & donatione propter nuptias, & conjugum ſucceſſione*, minus principaliter ſuper bonis paraphernalibus atque receptitiis aliisque capitulis *Lauterb. comp. Iur ff. h. t.* Et quidem fiunt de dote vel conſtituenda, vel conſervanda vel retinenda, vel reſtituenda vel augenda. *l. 1. l. 2. & paſſim in tit. ff. & C. h. t. Illuſtr. Dn. Meurer. c. l. cap. 4. §. 2.* Dotis tamen conditio illis deterior fieri non debet, aut mulier reddi plane indotata. *l. 2. ff. de jure dotium. l. 4. 6. l. 14. l. 17. ff. de pact. dot. Weſenbec. paratitl. h. t. Illuſtr. Dn. Stryke c. l. §. 14. Illuſtr. Dn. Meur. c. l. ad l. 12. §. 1.* Circa donationem propter nuptias alterutro conjuge mortuo quid obtinere debeat, pariter diſponunt *Treutl. l. c.* Dicitur hæc Germanis die Gegenver-

machung,

machung, eine Gegenvermächtnüſſe, & in pactis dotalibus probe ſeparanda ratione effectus a dotalitio: *vid. Ill. Dn. Stryke c. l. §. 27. 28.* Quin & largitates ſponſalitiæ vel mutuæ deſponſatorum donationes, de quibus *Mev. ad Ius Lub. p. 1. t. 6. n. 4. & ſeq.* & munera antenuptialia accurate a ſequenti donatione propter nuptias diſtinguenda eſſe monet *Gieſcb. Iuſtin. Harm. ad I. de donat. §. 4. n. 243.* Imo hodierna donatio longe alia eſt ab antiqua Romanorum. Nam ut notat *Schilter. Exercit. ad ff. Ex. 36. §. 86.* Moribus noſtris primarium in contrahendo matrimonio ex parte mulieris eſt, ut ipſi certum quid ex bonis mariti deputetur, unde ſe poſt mortem ejus exhibere poſſit, id dotem vocant veteres Germani, recentiores ad æmulationem Juris Romani donationem propter nuptias. Nomen tolerari facile poſſet, ſed natura plane diverſa eſt. Donatio enim propter nuptias ſemper præſupponit dotem, unde & ἀντιφέρνη dicitur, at quod jure Germanico maritus uxori conſtituit, eſt ipſa dos & a qua nuptiales largitates incipiunt, & eo referuntur. Deinde id quod ſponſus ita deputavit ſponſæ regulariter ad mariti heredes recidit, ſed donationem antiphernalem lucratur, & transmittit ad heredes ſuos uxor. Hæc *Schilterus l. c.* Conjugum porro mutua ſucceſſio de jure civili per hæc pacta determinari nequivit, cum pactis hereditas neque dari neque adimi poterat *per. l. 20. ff. de V. S. l. 15. l. 30. C. de pact. l. 5. C. de pact. convent.* etiamſi juramento fuiſſent firmata *cap. 58. de R. I. in 6to* vid. *Bald. & Salycetus ad l. hereditas. C. de pact. convent. Schurpf. cent. 1. conſ. 96. n. 19. & cent. 3. conſ. 50. n. 9. & ſeqq. cent. 2. conſ. 69. n. 2. ibidq; citati Cothman. v. 1. conſ. 8. n. 19. & conſ. 21. n. 22. & t.* At hodie ex univerſali Germaniæ conſuetudine pacta dotalia de conjugis ſucceſſione in defuncti bona vel univerſa, vel pro parte certa *Ill. Dn. Stryk. c. l. §. 21.* recte diſponunt, & Legum inſtar ſervanda ſunt. *Carpz. Jprud. for. part. 2. conſt. 43. def. 1. & ſeqq. Weſenb. paratitl. ff. de pact. dot. ibidq; Hahnius. Treutler. l. c. ibiq; Bachov. Struv. l. c. Illuſtr. Dn. Meurer. c. l. §. 4. Illuſtr. Dn. Stryk. c. l. §. 1. Cothm. vol. 1. conſ. 8. n. 99. &c. Mev. ad Jus Lubec. P. 2. tit. 1. n. 99. & Doctores communiter. add. Stat. H. 3. III. 8.* Qui contra ſcholaſtice diſputat, illi ignoſcendum & condolendum eſſe, quod quæ quotidiana non didicerit, & jus in quo verſatur, ignoret. *ait Cothman. v. 2. conſ. 78. n. 176. vid. Mev. c. l. n. 104.* Denique de aliis etiam Capitulis ſæpe in pactis hiſce diſponi poſſe v. gr. de educatione liberorum tam manente quam finito matrimonio facienda,

cienda, de oneribus matrimonii ferendis, de dotalitii conſtitutione, quod quomodo a donatione propter nuptias differat. *vid. apud Ill. Dn. Stryk l.c. §. 27. & ſeq.* de donis nuptialibus, de quibus Hahn. ad *Weſenb. paratitl. ff. de jure dot. num. ult. & Mev. ad Jus Lubec. P. 2. t. 2. art 12. n. 61. & ſeq.* de re domeſtica inſtituenda &c. extra dubium, & cuilibet ipſa inſtrumenta dot. inſpicienti ſatis innoteſcit. *vid. tabulas dot. exhibitas ab Illuſtr. Dn. Strykio c. l. ut Dn. Meurero Diſſ. ejusdem annexas*, quibus alias inſuper ipſe addere poſſem, ſi tanti res videretur. *add. interim cuilibet Notariorum informatores.*

Hæc circa Definitionem ejusque explicationem tradita aliquo modo naturam pactorum dotalium exponunt, quorum quidem diviſiones variæ a Ddribus traduntur, quas omnes in foro patrio obtinere dubito. Etenim (1) diviſionem in tacita vel expreſſa merito *cum Gail. 2. obſ. 82. num. 3. Mev. ad Jus Lub. p. 1. tit. 5. rubr. num. 16. & art. 2. num. 8. Illuſtr. Dn. Meurero l. c. cap. 1. §. 6.* rejicio, ceu a praxi Patriæ alienam. Quippe cum præter ea, quæ *Dominus Meurer. l. c.* habet, ſtatutum præciſe exigat conſenſum & ſubſcriptionem eorum qui de jure requiruntur, patet Hamburgi nulla pacta dot. tacite iniri poſſe, cum hæc ſubſcribi nequeant. Porro nec (2) diſtinctio in ſimplicia & mixta quam ſuppeditat *Dominus Struv. c. l. Weſenbec. c. l. & approbat Dominus Meurer. c. l. aliique* videtur locum habitura, eo quod nititur modo concipiendi hæc pacta, quatenus nempe concepta ſunt per modum vel contractus, vel ultimæ voluntatis. Qui modus concipiendi cum in patria non attendatur, ubi omnia jure pacti ſubſiſtunt. *vid. Schutz. v. 3. diſp. 12. θ. 3. a. ut ſupra dixi*, nec diviſio hoc fundamento nitens erit attendenda. Magis vero obſervandæ diviſiones deſumtæ (1) a cauſa efficiente *ex l. 12. §. 1. ff. h. t.* quod ſcilicet aliæ conventiones dot. ad voluntatem pertineant & ſolo paciſcentium arbitrio, modo non juri publico repugnet, regantur. V. gr. ut mulier dote promiſſa ſe alat, & donec nupta ſit, dos ab ea non petatur, aut ut certam ſummam viro præſtet, & ab eo alatur: ne amplius quam pars dimidia dotis a muliere petatur, & pœnam ſtipuletur: ne ſit periculo mariti nomen debitoris, qui dotem ei promiſit, ſed periculo mulieris, & his ſimilia exempla *in l. c. 12. l. 6. & alibi ff. & C. h. t. paſſim obvia:* Aliæ ad jus pertinent & legibus determinantur, quarum Exempla occurrunt *in l. 2.* ne diſſoluto quoquo modo matrimonio liberis intervenientibus dos apud virum

rema-

remaneat *l. 6.* ne maritus ſolummodo dolum in dotem præſtet. *l. 14. & ſeqq.* ne longiore quam legibus ſtatuto tempore dos reddatur; *& aliis paſſim ff. h.t. vid. Illuſtr. Dn. Meurer. c. l. cap. 1. §. 4. & ad l. 12. §. 1.*

(2) Ab effectu, dum *aliæ* ſunt utiles & validæ, quæ requiſita Legis & ſtatuti continent, ac inde vim obligandi habent: *Exempl. in l. 4. in f. l. 6. in f l. 12. pr. §. 1. 2. 3. 4. l. 23. & alibi ff. & C. h. t.* aliæ inutiles, quæ vi obligandi deſtituuntur, quod LLbus vel ſtatutis repugnant, aut contra bonos mores ſunt. *Weſenbec. paratitl. ff. c. l. num. 1.* v. gr. quæ mulieres reddunt indotatas *l. 4. pr. l. 5. §. 1. 2. l. 12. §. 1. in f. & c. ff. & C. h. t. Illuſtr. Dominus Meurer. c. l.*

(3) A circumſtantia temporis, quod vel ante vel poſt nuptias factæ ſint. *l. 1. l. 12. § 1. l. 28. ff. h. t.*

(4) A circumſtantia loci; Unde aliæ judiciales, quæ fiunt actis intervenientibus, ſive quæ judicialiter inſinuantur. *vid. Weſenbec. Paratitl. ff. h. t. num. 4. Carpzov. Jurisprud. for. P. 2. c. 43. def. 3. & ſeqq.* Quibus æquipollent ex ſtatutario noſtro condita pacta dot. coram Deputatis Ampliſſimi Senatus *arg. Stat. H. 3. l. 1. in fin. verſ.* Und alſo ſol es auch in allen.

Aliæ extrajudiciales, quæ extra judicium, ſive non adhibitis Deputatis Ampl. Senatus, inter ſolos privatos præſentes fiunt *Illuſtr. Dominus Meurer. c. l.*

Speciebus ita enumeratis conſiderandum reſtabit, *quinam Pacta dotalia contrahant.* Javolenus *in l. 1. ff. h. t. ait:* Pacta, quæ de reddenda dote fiunt, inter omnes fieri oportet, qui repetere dotem poſſunt, & a quibus repeti poteſt. Hæc Lex generatim quidem aliquid de perſonis paciſcentibus definit, ſed diſtinctius res ipſa perpendi meretur. Nimirum paciſcuntur vel ipſi conjuges, adeoque maritus *l. 2. l. 4. 6. 17. pr. l. 18. 22. 24. & c. ff. l. 5. l. 9. C. h. t.* & uxor *l. 7. l. 12. §. 2. l. 17. pr. l. 21. & c. ff. l. 4. C. h. t.* ubi tamen notandum, quod de notiſſima omnium fere nationum conſuetudine ut loquitur *Carpzov. P. 2. conſt. 43. def. 9.* etiam ſine curatoris conſenſu mulier ſeu ſponſa pacta dotalia valide contrahat, niſi in illis dos æſtimata marito conſtituatur, quod abſque curatoris conſenſu non firmiter fieri cenſet, ſiquidem æſtimatio Emtionem faciat. *l. 10. §. 4. l. 17. ff. de jur. dot. add. l. un. §. & cum lex 15. C. de rei uxor. act. & Weſenbec. Paratitl. ff. de fundo dot. num. 5. 6. & 7.* At jure Patriæ Civitatis ſecus ſe res habet. Secundum hoc enim omnes mulieres, quo

nomine etiam Virgines hic veniunt *ſec. l. 13. pr. ff. de V. S.* hactenus pro impuberibus habentur, nec quicquam valide ſive in judicio ſive extra judicium agunt, (Exceptio tamen eſt in *Stat. H. 2. IIX. 1.*) nec ex bonis ſuis cedere donareve quippiam alteri poſſunt ſine curatoris conſenſu & auctoritate *vid. Stat. H. 1. IX. 1. & 2. IIX. 1. & p. 3. VI. 21.* Quod neque adeo obtinet, ut licet poſt matrimonium initum maritus ſit curator uxoris ſuæ legitimus; *St. H. 1. IX. 5.* attamen ſi ipſa conſtante matrimonio marito ſuo aliquid donare, aut ab alio factam donationem marito confirmare velit, alterius cujusdam Curatoris auctoritatem ad hoc requirere teneatur: *Stat. H. 3. VI. 9.* Dictum paciſci vel ipſos conjuges, vel, quod idem *cap. 72. de R. I. in 6to.* alios nomine ipſorum. Et quidem ratione mariti nemo recte paciſcetur, niſi fuerit univerſalis ejus Procurator cum libera conſtitutus *cap. 4. de procurat. in 6to.* vel etiam ſpeciali inſtructus mandato. *l. 1. §. 1. l. 58. ff. de procurator. l. 19. l. 46. ff. de jur. dotium.* Reſpectu vero uxoris, poteſt paciſci pater. *l. 7. l. 11. l. 12. & c. ff. h. t.* qui filiam in poteſtate habens eam dotare tenetur *l. 19. ff. de R. N.* pro modo facultatum ſuarum & dignitate mariti *l. 69. §. 4. ff. de jur. dot. Auth. ſed quamvis, C. de rei uxori act. Illuſtr. Dn. Stryck. c. l. §. 13.* Pro filia vero emancipata dotem conſtituere non præciſe obligatur *arg. l. 19. ff. de R. N. l. 51. de jur. dot. Bachov. ad Treutl. vol. 2. Diſp. 7. θ. 2. lit. a. b. c.* Porro reſpectu uxoris paciſcitur recte mater *arg. l. 7. verſ. quanquam ff. h. t. l. 17. C. de jure dotium* avus maternus *l. 45. ff. ſoluto matrim.* & extraneus quilibet *l. 20 §. 1. l. 29. §. 1. ff h. t.* Extraneum autem intelligo omnem citra parentem per virilem ſexum aſcendentem, & in poteſtate dotatam perſonam non habentem *l. un. §. 13. C. de rei uxor. act.* Et generatim, quicunque mulierem dotat. quic. dotem ſive profectitiam *l. 5. §. 1. 2. & §. 11. l. 6. §. 1. ff. de jur. dot.* ſive adventitiam *l. 5. §. 11. inf. ff. eod.* repetere, & a quo repeti poteſt, recte paciſcitur. *l. 1. §. 1. & paſſim ff. h. t.* Hoc tamen obſervato diſcrimine, quod initio quidem dotis dandæ legem quam velit, etiam ignorante muliere, is qui dat, dicere poſſit, *l. 7. l. 20. §. 1. ff. h. t.* poſtquam vero dederit & quidem extraneus, tunc paciſci conſentiente muliere debet. *l. 20. §. 1. ff. h. t.* Sin vero ſpecialiter non ſtipulatus ſit, vel pactum fecerit, tunc extraneus non videtur tacitam ſtipulationem feciſſe, ſed potius ipſa mulier, cum donaſſe magis mulieri quam ſibi aliquod jus ſervaſſe extraneus non ſtipulando videatur, ne quod pro mulieribus intro-

introductum, hoc adverſus mulieres convertatur: ut loquitur Imper. *in d. l. un. §. 13. C. de rei uxor. act.* Sin autem pater dotem dederit, & poſt datam paciſci velit, utriusque i. e. & patris & filiæ perſona in paciſcendo neceſſaria eſt, (*Exc. in l. 8. ff. h. t. add. l. 8. ff. de his qui ſui vel al jur.*) quoniam jam acquiſita mulieri dos eſt. Interim ſi hoc caſu ſolus pater pactus ſit ſine filia, ſive ſolus agat, ſive adjuncta filiæ perſona; ei ſoli proderit nocebitve pactum conventum, non vero filiæ ſoli agenti. Sin vero filia ſola pacta fuerit, quo pacto melior conditio patris ſit, proderit & patri: ſi vero ſic pacta ut noceat, ei ſoli nocebit, patri vero nullo modo, niſi adjecta quoque filiæ perſona reperiatur. *l. 7. ff. h. t. Treutl. Vol. 2. Diſp. VII. §. 7. lit. C. ibique Bachov. ad obſt. l. 2 §. 1. ff. ſol. matrim.* reſpondens. Cœterum pactis jam factis & dote marito conſtituta, ſi quid immutandum erit in illis, conjugis utriusque conſenſu erit opus ob jus ipſis jam quæſitum. Porro circa hæc de pactorum dotalium Subjecto ſive perſonis paciſcentibus dicta notandum etiam eſt, quod pacta dot. extra paciſcentes ad alios pertinere non videantur, adeoque quod extraneus forte dotem dans pepigit, mulieri non proderit, cum nemo alteri ſtipulando aut paciſcendo obeſſe vel prodeſſe queat, §. *4. & 18. I. de inut. ſtipul. l. 38. §. 17. ff. de V. O. Illuſtr. Dominus Meur. l. c. cap. 3. §. 5.* Sed notante *Schurpſio cent. 2. conſ. 27. num. 7. & 8.* fallit hæc Regula in multis caſibus, & inter cœteros non procedit in dote, favore dotis *l. 45. ff. ſolut. matr. l. 7. C. de pact. convent.* Et clarum eſt, quod pacta inita tam ſuper dote, quam donatione propter nuptias, ut & Paraphernis, ac ex hodierna Germaniæ obſervantia, ſuper ſucceſſione conjugum, æquiparentur, ut patet *per rubr. & nig. C. de pact. convent. & tot. tit. ff. de pact. dot.* Ergo & in pactis dot. quis alteri paciſci poteſt, ita ut licet non directa, utilis tamen inde ipſi competat actio, *ſec. gloſſ. in l. pactum dotale 4. C. d. tit. per d. l. 45. ff. ſol. matr. & l. 7. C. de pact. convent. Nec obſt. l. 26. §. 4. ff. h. t. v. l. 26. pr. ff. depoſ.* Hæc *Schurpf. c. l. add. Treutl. l c. ibiq. Bachov. ad lit. c. add. l. 9. ff. h. t.* Plura de perſonis paciſcentibus vigore ſtatuti noſtri requiſitis dicam infra *ad verb. requiruntur.* Formam quoque & effectum horum pactorum ut & contraria inferius exponam, hoc loco ſaltem affinia eorundem brevibus exhibiturus. Quæ ſunt pacta ſponſalitiæ largitati, quæ fit ad amorem conciliandum *Lauterb. comp. Jur. ff. de ſponſalibus. A. & de jur. dotium SS.* adjecta: item Pacta matrimonio ex L. Salica (eo quod Francorum antiquæ Legi ori-

ginem debet) ſive ad Morganaticam de qua voce *Dominus Struv. S.I.F. cap. IX. §. 5. num. 8. & Calvin. Lex. Jurid. h. v. & Speidel. & Beſold. voce* Vermählung zur lincken Hand contracto *addita, vid. Illuſtr. Dominus Meur. t. l. cap. 7. §. 7.* quæ eum ob finem notari potiſſimum merentur, quod diſponant non tantum quid de bonis mariti, ſed etiam quid de honoribus ejus tam uxor quam filii participare debeant. *Excell. Domin. Placcius Patronus maxime venerandus ſuppl. 2. ad §. 1. I. de Nuptiis.*

INTER CONJUGES

Non valent pacta dotalia, niſi matrimonium ſit legitimum.

SUpra jam dictum pacta dot. fieri potiſſimum ſuper dote *arg. rubr. C. de Pact. convent.* cum vero hæc ſine nuptiis eſſe nequeat *l. 3. ff. de jur. dot.* ſed tacitam harum habeat conditionem *l. 21. ff. de jur. dot. Treutl. Vol. 2. Diſp. 7. θ. 5.* ſequitur ut pacta hæc inter futuros, ſponſum nempe & ſponſam, aut jam exiſtentes conjuges fiant. Non tamen inter omnes conjuges aut matrimonium ineuntes perſonas pacta dotalia valide ineuntur. Etenim qui adverſus præcepta juris & Legum qua divinarum qua humanarum diſpoſitionem coëunt, ſive nefarias, ſive inceſtas aut alioquin illicitas nuptias contrahendo, quamvis benedictione ſacerdotali firmatum ejusmodi conjugium in quibusdam judiciis non facile reſcindatur, niſi capitis pœna irroganda. *Carpzov. Jurisprud. Conſiſt. l. 2. def. 83. num. 1.* nihilominus quantum ad beneficia Juris & commoda nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec horum conſequens vel effectus ullus v. gr. arrha ſponſalitia, donatio propter nuptias, pacta dotalia vel ipſa dos intelligitur valere *§. 12. I. de Nuptiis ibique Dominus Placc. l. 52. l. 66. ff. de R. N.* Neceſſe ergo eſt, ut pacta dotalia valida & obligandi vim habitura inituri, legitime matrimonium juſtasque nuptias contrahant, quales ſunt, qui ſecundum præceptum Legùm (præcipue reſpectu graduum cognationis) coëunt, maſculi puberes, fœminæ autem viripotentes, utrique conſenſum parentum ſeu expreſſum ſeu tacitum *l. 7. §. 1. ff. de ſponſal. l. 5. C. de nuptiis.* habentes *pr. I. de Nuptiis. add. Ddres ad tit. ff. de R. N. & Barn. Briſſonii tract. de LLbus connubiorum, conf. Stat. Hamb. P. 2. tit. XI. art. 1. & ſeq.*

FACTA

FACTA SUNT ET CONSUMMATA.

Ad P. D. efficaciam moribus quibusdam Germaniæ requiruntur, ut ſint in ſcripturam redacta.

NOn ergo argumento a contrario ducto, ſufficit inchoata eſſe, ſed niſi omni ex parte fuerint abſoluta & perfecta, obligandi vim nullam habebunt: *arg. pr. I. de Emt. vendit.* Verum hoc licet in ſe certum ſit, ita magis dubium atque diſcutiendum erit, quando ſive quo tempore facta eſſe cenſeantur? Utrum cum in ſcripturam demum redacta ſunt, an conſenſum utcunque declaratum eſſe ſufficiat? Equidem de jure civili extra controverſiam poſitum, quod conſenſus utcunque declaratus ſufficiat, licet ſæpe inſtrumentorum dot. fiat mentio *p. text.* expreſſ. *in l. 6. C. de dotis promiſſion. l. un.* §. *1. in f. C. de rei uxor. act.* Cui opinioni accedit communis Ddrum conſenſus. *vid. Weſenbec. Paratitl. ff. h. t. num. 3. Carpzov. Jurisprud. for. P. 2. conſt. 43 def. 8. Dominus Struv. S. I. C. Ex. 30. θ. 16. Illuſtr. Dominus Meur. c. l. cap. 5.* §. *2. Illuſtr. Dn. Stryck. c. l.* §. *2. aliique.* Interim quoties inſtrumenta deſuper confecta ſunt, majoris & evidentioris probationis gratia id factum cenſetur. *l. 4. ff. de pignor. l. 4. ff. de fid. inſtrum. Weſenbec. c. l. Carpzov. c. l. num. 2. Illuſtr. Dnn. Stryck. & Meurer. c. l.* At vero contrariam tuentur opinionem, & ſcripturam neceſſariam affirmant, qui inſinuationem judicialem ad valorem eorum requirunt cum *Friderichſtadenſium Jure Statut. de 1633. p. 2. S. tit. de dote 19. art. 3.* Quam affirmativam & ego vigore Statuti Patrii amplector, ſcripturæ neceſſitatem ad pactorum dot. valorem requirens *ob verbum* untergeſchrieben. *vid. Illuſtr. Dn. Meur. c. l. cap. 5.* §. *3.* cum nihil ſubſcribi poſſit, niſi quod ſcriptura ante comprehenſum *vid. Calvin. Lex. Jurid. voc. ſubſcriptio.* Cum ergo ſcriptura conficiantur pactiones dot. non aliter perfectæ erunt, niſi & inſtrumenta earum fuerint conſcripta vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem ſcripta, a contrahentibus autem ſubſcripta, & ſi per tabellionem fiunt, niſi & completiones acceperint, & fuerint partibus abſoluta. Donec enim aliquid deeſt ex his & pœnitentiæ locus eſt, & poterunt contrahentes ſine pœna a pactis recedere, *ut loquitur Imperator in* ſimili caſu *pr. I. de Emtion. Vendit. & l. contractus 17. C. de fid. inſtrum.* Cæterum hunc morem imo neceſſitatem Pacta dotalia in ſcripturam redigendi vel actis inſinuandi jam priſcis tempo-

ribus uſitatam fuiſſe obſervare licet *ex ſupr. Sect. I. citatis formulis antiquis a Marculpho collectis & ſupra laudati Lindenbrogii Codici LLum antiquarum* adjunctis: ibi enim *form. 49.* quæ inſcribitur: Charta donationis inter virum & uxorem quæ geſtis municipalibus allegata, ita incipit: Quicquid inter conjugatos de propria facultate ob amorem dilectionis invicem condonare placuerit, ſcripturarum neceſſe eſt titulis allegare, ne inpoſterum ab heredibus eorum vel a quocunque poſſit convelli. *Et form. 76.* legitur: Neceſſe eſt, ut omnia, etiam donatio per ſcripturarum ſeriem, pleniorem obtineant veritatem. Clarius idem *in form. 78.* exprimitur: Lex & conſuetudo expoſcit, ut quicquid inter ſponſum & ſponſam de futuris nuptiis fuerit definitum, vel largitum, aut ex conſenſu parentum, vel ipſorum, ſi ſui juris ſunt, ſcripturarum ſolennitate firmetur.

ET AB ILLIS, QVI AD OBLIGATIONEM EORUM DE JURE REQVIRUNTUR.

Jure Hamburgenſi ad ſubſcriptionem pactorum Dot. requiri proximos cognatos.

Loco obligationis validitatem dicerem, ſi vocis hujus ullus eſſet apud Latinos valor, vel latinius *valorem*, ſive: *qui conſentire tenentur.* At quinam hi ſint, dubia videtur futura quæſtio. Equidem Ddres requirunt, ut niſi actis inſinuentur, vel duo vel quinque teſtes ſint adhibendi, quo valeant, pro diverſo nempe concipiendi modo quatenus vel per modum contractus, vel per modum declaratæ ultimæ voluntatis ineuntur. *Weſenbec. paratitl. ff. h. t. num. 4. Carpz. Juriſpr. for. P. 2. c. 43. d. 1. 2. & 3. Struv. c. l. θ. 19. Treutler Vol. 2. Diſp. 7. θ. 7. lit a. Illuſtr. Dn. Stryke c. l. §. 16. & Dn. Meurer. c. l. cap. 5. §. 4.* Et cum modo oſtenſum ſit, in ſcripturam pacta dotalia eſſe redigenda, vel hoc intuitu teſtes erunt adhibendi, quoties ſolenne ſuper iis inſtrumentum conficitur *per Ordinat. Notar. Anno 1512. Colon. §. 3.* Nam ſola ſcriptura privata pro ſcribente nihil probaret *l. 5. l. 6. & 7. C. de probat.* ſed hoc ut extra dubitationis aleam poſitum videtur: ita magis anceps, utrum quilibet teſtes fortuito oblati ſufficiant, an præciſe quidam præ reliquis exigantur. Quantum ad Jus civile, quoscunque legales ſufficere exiſtimem quoties teſtes requiruntur, nec Ddres ullo verbo monent ad pactorum dotalium valorem & obligatio-

gationem quosdam præ reliquis eſſe adhibendos, niſi forte huc trahere quis velit verba Javoleni *in l.1. §.1. ff. h. t.* ubi ait: *Pacta, quæ de reddenda dote fiunt, inter omnes fieri oportet, qui repetere dotem poſſunt, & a quibus repeti poteſt.* Quaſi his verbis indigitetur tam eum, qui dotem dat, & mulierum & heredes, cum qui quoque morte ejus interveniente dotem repetere queant. *l. un. §. 6. C. de rei uxor. act.* quam maritum & heredes mariti, (ceu a quibus marito mortuo dos etiam repeti poteſt *arg. l. 23. l. 24. §. 1. l. 25. ff. de re judicat.*) eſſe in pactionibus nuptialibus advocandos. Cæterum, præterquam quod hæc lex tantum de pactis de reddenda dote factis loquitur, notandum, ob utilitatem tantum eorum, qui repetere poſſunt Javolenum hoc conſtituiſſe, ut ex ſubjuncta ratione patet. Ita enim porro ait, *ne ei, qui non interfuit, pactum non proſit.* Adeoque ſatis indicat non neceſſario eſſe eosdem adhibendos, cum alioquin ipſis ceu ſolenniter a jure requiſitis non adhibitis pacta forent nulla: *arg. l. 9. §. 3. verſ. nam. ff. ad exhibend. l. 8. §. 17. ff. de tranſact.* ſed ſolummodo aſſerit pactum ipſis abſentibus factum, ipſis non prodeſſe, (ſcil. directo, licet utiliter proſit *l. 9. ff. h. t. l. 45. ff. ſol. matr.*) Unde & Pomponius *in l. 7. ff. h. t.* tradit, *cum dos filiæ nomine datur, optimum eſt, pactum conventum cum utroque generum facere.* Optimum eſt, inquit, non neceſſarium. Nempe quia hujusmodi pleno pacto manifeſtius fit, an & quatenus paciſcentes dotis nomine invicem teneantur, ut ex hujusmodi pacto aperto omnis impoſterum controverſia tollatur, movenda forte hoc prætexta, quaſi præſens abſenti utiliter ſtipulari non potuerit. Et hoc verbo JCtus ſvadet, non imperat, neque neceſſitatem imponit, ſed lites futuras cavet, ut ait *Illuſtr. Dominus Meurer. ad l. 1. §. 1. ff. h. t.* Proinde Jure civili non determinari apparet, quinam præciſe ſint adhibendi. Quin nec ſtatutum noſtrum perſpicue exprimit, quinam ſint qui ad obligationem requiruntur. Interim praxis & conſuetudo fori optima Legum interpres *l. 37. ff. de LLbus* affatim teſtatur, præter ſponſum & ſponſam, ejusque Patrem vel Curatores aut Tutores, paciſci debere inſuper & conſentire conjugum cognatos. Neque ſufficit quoscunque cognatos conſentire, ſed proximi debent eſſe *Cothman. vol. 1. reſp. 39. num. 332. & ſqq.* licet plurium Ddrum opinio receperit ſtatuto conſanguineorum conſenſum requirente ſufficere aliquos ex iis conſentire, & ſi proximi non ſint. *Bartol. ad l. tranſactionem, C. de tranſact. ibid. Alciat. n. 9. Salycet. ad l. 1. C.*

unde

unde vir & uxor. &c. vid. Mæv. ad Jus Lubec, P. 2. tit. 1. art. 14. num. 16. Atque illa ſententia inde confirmatur, quod ex multis Juris Statutariis locis evidenter apparet, Legumlatores in inclyta Rep. patria venerandos, ſæpius cognatos proximos advocatos præcepiſſe, præcipue ubi quis diſponere de bonis ſuis voluerit. Ita enim *ſec. St. H. P. 3. tit. 1. art. 4. 10. & 11.* teſtamentum ſuper bonis hereditariis conditurus, aut bona ſua inter cognatos diviſurus conſenſu cognatorum proximorum opus habet, qui etiam, quoties conjuges bona ſua ſibi invicem donant, contradicere poſſunt, *St. H. P. 3. tit. 1. art. 18.* & bona ſua immobilia alienaturus offerre eadem debet cognatis duobus proximis *St. 1. IIX. 3.* Magis vero etiam ſtatutum noſtrum declarat *Stat. Hamb. P. 3. t. III. art. 2.* ubi dicitur: quod ſi liberi certa bonorum portione a parentibus fuerint dotati, ipſique illa portione tempore initi matrimonii una cum duobus proximis cognatis fuerint contenti tunc &c. Adeoque non ſufficit liberos eſſe contentos, ſed & cognati proximi debent conſentire, quoties parentes liberis ſuis certam bonorum ſummam dotis nomine donant. Addi huic ſtatuto poteſt *Edictum pœnale Anno 1676. d. 21. Septembr.* promulgatum & 1. Octobr. ex ſuggeſtu omnium templorum præcipuorum publicatum *contr.* **die Verkuppelung und Entführung der Weiber, Jungfrauen und Unmündige, ꝛc.** in quo edicitur, ſi quis volentem invitamve mulierem contra notitiam, voluntatem, & abſque pleno conſenſu parentum, tutorum aut proximorum tam agnatorum quam cognatorum ſibi deſponſare eamque in ſecretum abducere audeat, omnia ab ipſis acta licet jurejurando firmata nulla & invalida declarari, intelligi, ac matrimonii votum diſſolvi debere. Quæ omnia ſatis probant ſtatutum noſtrum requirens aliquos præter conjuges ad valorem pactorum dot. cognatos proximos exigere. Neque id abſque ratione. Hi enim matrimonio per mortem alterutrius conjugis ſoluto, defuncti conjugis deficientibus liberis, nec teſtamento facto heredes ſunt ab inteſtato ſucceſſuri, & ſpem habent in paciſcentium hereditate *l. fin. C. de pact.* adeoque cum per hæc pacta præjudicium ipſis fieri queat, & conſervatio familiarum, quam Majores ſtrenue per ſtatuta quæſiverunt, everti, hinc merito cognatorum proximorum conſenſus ad hoc ut pacta dot. ſint omnimodo obligatoria, requiritur. Accedit, quod hi debeant obligari NB. **zu Verpflichtung**, ad diviſionem ſecundum inita pacta cum ſuperſtite

ſtite conjuge faciendam. Quam opinionem etiam amplecti video JCtos patrios, dum ſupra laudatus Dominus Protoſyndicus Garmerus in notis ſuis reformatoriis Mſſtis ad h. art. voc. Ehezärtern lin. 8. annotat. Wann dieſelbe von den Kindern, oder deren neheſten Verwandten Väter- oder Mütterlicher Linie mit unterſchrieben, Sic in Conſilio quodam ab ampliſſimo Patriæ Reip. Senatore dato pro valore pactorum dot. adducitur: Erſtlich befindet ſich, daß dieſelbige (ſcil. Ehezärter) von den Contrahenten und andern nechſten Anverwandten gebührlicher Maſſen unterſchrieben und alſo vollenzogen worden. Et in cauſa Hinſchen Erben contr. Hinſchen Wittwe pacta dot. impugnantur, eo quod frater mariti & ex parte uxoris nullus cognatorum eadem ſubſcripſerat. Proinde cognati proximi ad eſſentiam & obligationem pactorum dot. Hamburgi requiruntur. Unde, quod *in Mſſtis Möllerianis ad h. art. voc.* **zu Verpflichtung dazu erfordert** *deprehendo annotatum*, Si illi, qui in teſtimonium vel honoris ſaltem cauſa adhibiti ſunt, non ſubſcripſerunt, vel ſigillarunt, pacta nihilominus valent. Quod usque adeo verum, ut etiam contractus valeat, ſi illorum ſigilla appenſa ſint, & non appareant, vel ablata ſint. Siquidem ad actum aliquem probandum ſufficiunt ea, quæ ſunt neceſſaria, licet ea, quæ non ſunt neceſſaria adhibita ſint, & non appareant, *vid. Möller. in Semeſtr. libr. 3. cap. 4.*

CONSUMMATA SUNT, SUBSCRIPTA ET OBSIGNATA.
Subſcriptionem & obſignationem olim, hodie ſolam ſubſcriptionem requiri.

ADeoque pacta dotalia inter conjuges facta & in ſcripturam redacta non valent, niſi a proximis cognatis etiam fuerint conſummata per ſubſcriptionem nempe & obſignationem. Quæ ſubſcriptio & obſignatio ſpeciatim exigitur, probationis evidentioris gratia in re tam magni momenti. *l. 4. ff. de fid. inſtrum.* & ut eo magis amputentur occaſiones litium alias facile orituræ. Unde *in modo citatis MSStis Möllerianis* quæſtio movetur. Si pacta dotalia non ſint ſubſcripta & ſigillis partium munita, nihilominus teſtibus acta probari queant, an non teſtes idem quod ſigillationes & ſubſcriptiones probent? Nam dotis conſtitutio per teſtes probari poteſt. *Maſcard. de probat. concl. 568. n. 1. & 565. n. 8.* & deciditur, quod contrarium dicendum videatur, ex hoc ſtatuto, cum enim plura conjuncta requirantur, ad perfectionem

alicujus actus, unum adimplere non ſufficit, ſed uno deficiente, totum deficit, *Abb. de Roſat. de Statutis qu. 7. n. 2. & quæſt. 174. num. 13.* Ergo nec ſola ſubſcriptio ſufficit, de jure ſcilicet, & ſi legi ſcriptæ ſtricte inhæreatur. Alioquin enim jam ſupra dictum ſubſignationem ab uſu hodie receſſiſſe, ſolamque ſubſcriptionem frequentari, quod conſonum adeo videtur *l. 39. pr. ff. de V. S.* ubi dicitur, ſubſignatum dici, etiam quod tantum ſubſcriptum eſt. Atque ex hactenus traditis luculenter colligetur, quæ ſit forma pactorum dotalium Hamburgi conficiendorum. Videlicet, quod debeant inter conjuges fieri, in ſcripturam redigi, & a cognatis proximis ſubſcribi. Quæ copulative cum requirantur, omnium complementum erit neceſſarium, nec ſufficiet partis adimpletio. *l. 5. ff. de condit. inſtit. l. 129. ff. de V. O.* Interim quantum hæc forma a Juris civilis præſcripto abeat, hactenus dicta, cum illo comparanti in aperto erit.

TUNC.

HOc verbum innuit, qui ſit effectus pactorum dotalium legitime factorum, ac reſpicit præmiſſam particulam *Si*, adeoque deſignat, conditione præcedenti exiſtente, hunc ſequi effectum.

ETIAM POST UNIUS ALTERIUSVE OBITUM.

An & idem valeat, ſi moriantur ante conſummationem conjugii.

HAc enim conditione ſuſpenſiva, ſeu conſtitutiva Doctoribus dicta ineuntur, pactiones dot. ut executio aut implementum earum in caſum mortis alterutrius conjugis differatur. *Carpz. Ipr. for. P. 2, c. 43. d. 6. Struv. c. l. Illuſtr. Dn. Stryk. c. l. §. 1. Hinc Cothman. vol. 1. conſ. 8. n 99.* Quoties promiſſio præſenti die facta, & obligatio pure contracta, cujus effectus tantum in diem mortis tertii dilatus, ejusmodi conventio extra futuræ ſucceſſionis pactum eſt, & pro legitima habetur. *text. in l. un. C. ut. act. ab hered. & contr. hered. & conſentiunt Doctores multi.* Sed quid obtinebit ſi matrimonium conſenſu omnium, quorum intereſt, utrinque contrahatur, ſponſalia celebrentur, Pacta dot. ſcripto comprehendantur, ab omnibus ſubſcribantur & confirmentur, inſperata autem mors interveniret, quæ nuptias & ſic conſequenter amplexum & concubitum impediret? num pacta iſta erunt executioni mandanda? Magnis contentionibus ſuper hac lite Doctores concertant, quorum rationes ab utraque parte ob prolixitatem nimiam huc tran-

tranſcribendas non cenſeo, brevibus notaſſe ſufficiat *Gailium 2. obſ 80.* rejecta negantium opinione affirmativam amplecti ſententiam ita ut Statutum, vel ei quod ad effectum æquipollentia Pacta dotalia diſponentia de uxore & marito, locum quoque habeant in ſponſo atque ſponſa ſponſalibus per verba de præſenti contractis. *Gailio* adſtipulatur *Cothman. vol. 1. conſ. 10. num. 4. & ſeqq. & conſ. 29. n. 228. &c.* hanc opinionem jure divino & humano probari aſſerens. *Schurpfius* quoque *Centur. 3. conſ. 9.* primo intuitu idem tenet, dein tamen diſtinguit inter materias favorabiles, odioſas & indifferentes, & demum inquit: In ſtatuto, ſive cujus eadem eſt ratio, *Gail. 2. obſ. 80. n. 13.* in pacto dotali diſponente, quod uxore prædefuncta maritus lucretur dotem, vel partem ejus, nomine uxoris ſponſa de præſenti nondum carnaliter cognita non venit. Quia tale ſtatutum eſt reſtringendum duplici ratione, quia eſt valde odioſum, cum per ipſum conſanguinei uxoris prædefunctæ in matrimonio ſine liberis priventur dote. Item & ſecundo, quia ut apparet eſt correctorium Juris communis, *ſcil. l. un. C. de rei uxor. act. cap. nuper. cap. fin. x. de donat. inter vir. & uxor.* Quam ſententiam probatam obſervo ſummo olim Patriæ Reip. JCto, *Illuſtri* nempe *Dn. Garmero Syndico celeberrimo, qui in notis ſuis reformatoriis MSStis ad h. art. vocem* Abſterben notavit: Wofern die Copulation erfolget, und das Ehe-Bette beſchritten. Cui ſententiæ quoq; accedo, præcipue cum attento communi loquenti uſu man ein Ehemann und Eheweib heiſſet, wann ſie das Bette beſchritten haben, da zuvor man ſie Braut und Bräutigam nennet. ut notat *Speidel. Spec. voc.* Ehemann. *add. Ruding. Obſerv. Pract. & ſingul. lit. E.* Approbant hanc opinionem Reformat. Francofurt. peculiari ſanctione *p. 2. tit. 3. §. 5.* ibi: Setzen und ordnen wir, daß alle Pacte und Geding, ſo in den Heyraths-Brieffen abgeredet worden, anders nicht verſtanden, ihre Würcklichkeit erreichen, noch auch für kräfftig ſollen gehalten werden. Es ſeyn dann beyde Ehegemahl Chriſtl. Ordnung nach öffentlich zu Kirch gegangen, Ehelichen beygelegen, und alſo rechte Eheleute worden. Derowegen ob gleich der Bräutigam oder die Braut, nach vollbrachtem Kirchgange deſſelben Tages noch vor dem Ehelichen Beylager Todes verſchieden, daß es doch für keine vollkömmliche Ehe, ſo viel die Erbſchafft und andere Gemeine belanget, ſoll gehalten werden. Et hanc diſpoſitionem aliis in locis præſertim in Franconia uſu receptam obſervatur. *Webner Obſerv. Pract. voc.* Ehemann. Idem in

Saxonia diſpoſitum *P.3. conſt.19. ibiq; Carpz.* Interim non inelegans circa hanc quæſtionem cautela ſuppeditatur *a Gail.2. obſ.80. n.14.* ut videl. pactis dotalibus tempus lucrandæ dotis vel donationis propter nuptias inſeratur, quando nempe hujusmodi lucrum locum habere debeat, utrum ſtatim poſt contracta ſponſalia de præſenti, an vero nuptiis ſubſecutis & traductione facta. Quam cautelam probe obſervatam fuiſſe priſcis temporibus, colligere licet ex ſæpe citatis formulis antiquis a Lindenbrogio publicatis. Etenim in form. 75. 77. & 78. legitur: *Hæc omnia, ſupra dicta tibi dulciſſima ſponſa ſum traditurus, quando dies nuptiarum advenerit, & Deus nos conjunxerit, ut ab ipſo die hoc habeas & teneas &c.* E contrario form. 76. 79. & 80. diſpoſitum, *quod ſponſus ſit traditurus promiſſa bona etiam ante diem nuptiarum, ita ut ſponſa ex die præſenti illa habeat.*

INTER SUPERSTITEM MARITUM AUT VIDUAM, ET LIBEROS, TAM EX PRIMO ET SECUNDO, QUAM TERTIO MATRIMONIO PROGNATOS.

Limitatio & ampliatio hujus clauſulæ. Quando cenſeantur deficere liberi?

MOdo tamen liberi primi vel ſecundi Matrimonii, vel ſi impuberes fuerint, ipſorum cognati agnatique proximiores pacta parentis cum tertia conjuge ſubſcripſerint. *Ill. Dn. Garmer. in not. reform. ad h. art. voce* Ehezärtern. Imo & deficientibus liberis inter ſuperſtitem conjugem & defuncti cognatos proximos ceu heredes ab inteſtato, diviſio ſecundum initam Legem dotalem fiet, *per notata Dn. Garmero in fin. huj. art.* eo quod eadem utrobique ratio, adeoque & idem jus *l.32. ff. ad L. Aquil. l.27. §.2. ff. ad L. Iul. de adult. l.9. §.2. ff. de edendo &c.* Deficere autem liberi cenſentur cum parentem non ſupervixerunt, *l.114. §.13. ff. de legat. Carpz. Iprud. for. P.2. conſt.43. d.14.* aut ſupervixerunt quidem, ſed a ſucceſſione ejusdem excluduntur per legem: v.gr. deportari *l.17. §.5. ff. ad Sanctum Trebell. l.1. in f. ff. de bonor. poſſeſſ. contra tab.* ſive, qui in eorum locum ſucceſſere hodierno jure, banniti. Hinc *Bartol. d.114. §.13.* exemplificat de filio, qui eſt de ordine S. Franciſci apud Pontificios, quod hic non faciat deficere conditionem, *ſi ſine liberis deceſſerit,* quoniam a Lege tam ex teſtamento, quam ab inteſtato prohibetur ſuccedere.

DIVISIO

DIVISIO SECUNDUM FACTA PACTA DOTALIA MERITO PERAGITUR.

Limitatio & ampliatio horum verborum.

EXcipit ab hac diviſione bonorum ſcilicet defuncti conjugis *Dn. Garmerus l. c. ad voc.* Theilung, caſum, quo Pater inter liberos ſuos de bonis quæſitis ſecundum ſtatuta noſtra *P. 3. tit. 2. art. 4.* aliud diſpoſuerit. Æquitati enim convenit patris voluntatem quoquo modo etiam teſtatam poſt mortem inter liberos obſervari *l. ult. C. famil. erciſc.* quod præſertim in diviſione inter liberos facienda obtinere volunt *Doctores. Menoch. de præſumpt. lib. 1. præſumt. 7. n. 5. Carpz. Ipr. For. p. 3. c. 4. def. 17.* Cæteroqui non tantum diviſio bonorum ſecundum dotalem conventionem inſtituenda, ſed & alia capitula in eadem conventione determinata v. gr. educatio liberorum ſuperſtitum ex priore matrimonio &c. inde decidenda ſunt. Pacta enim hæc Legis naturam inter paciſcentes obtinent. *Perez. in comment. C. h. n. 1.* ac inde Legis etiam ſcil. privatæ vel privatorum nomine appellantur *in l. 7. l. 20. §. 1. ff. l. 1. C. h. t.* & quæ ante voluntatis erant, illa hiſce pactis initis fiunt neceſſitatis. *l. 1. §. 6. ff. depoſit. l. 1. pr. ff. de pactis l. 23. ff. de R. I. l. 22. §. 11. ff. mandati. l. 12. in f. C. de contrah Emt. &c. l 5. C. de O. & A.*

ET SUNT UTRIMQUE HÆC OBSERVARE OBSTRICTI.

An pacta dotalia poſſint mutari, utroq; conjugum conſentiente? Contraria Pactorum dotalium, ſeu quando ea ſervare non liceat?

OB rationem nimirum modo allegatam. Interim caſus tamen multi dantur, quibus pacta inita locum non habent, quorum præcipui hoc loco ad pernoſcenda contraria conſiderari merebuntur. Et primum quidem excutiam quæſtionem, an pacta dotalia conſtante matrimonio, utriusque (nam alterius ſolius voluntate Hamburgi id fieri non poſſe, ſupra jam dictum) conjugis conſenſu immutari queant? Affirmativam tuentur *Carpz. Ipr. for. P. 2. conſt. 43. def. 11. Bachov. ad Treutler. vol. 7. diſp. 7. t. 7. lit. a. Ill. Dn. Stryk. c. l. §. 20. Ill. Dn. Meur. c. l. c. 7. §. 2.* Sed diſtinguendum exiſtimo, utrum mutatio pactis dotalibus quid detrahat, an aliquid addat. Nam quæ pacta detrahunt aliquid, ita ut poſtea ſuperſtes conjux minus conſequatur, ac ante promiſſum, illa prioribus ineſſe creduntur, tam ex parte rei, quam actoris, adeoque ad actionem & exceptionem proſunt; ſive actionem pariunt

 actori,

actori, ac reo non tantum exceptionem conferunt, ſed eum ipſo jure tutum reddunt, *Illuſtr. Dn. Meurer. l. c. cap. 5. §. 9.* Sin vero per mutationem conjuges ſibi invicem plus donent, hoc caſu ſolis conjugibus immutatio non permittetur. Etenim cum pacta priora præter conjugum arbitrium etiam cognatorum proximorum voluntate & conſenſu ſint inita, una vel altera pars invitis reliquis ab illis reſilire nequit. *Berlich. P. 2. concl. 51. n. 25.* præcipue ubi dein plus relinquitur ſuperſtiti conjugi in præjudicium tertii h. l. cognatorum proximorum, quibus per pacta ante facta proviſum & jus quæſitum eſt. Cum nemo conſilium ſuum in alterius damnum mutare poſſit *l. 74. ff. de R. J. cap. 33. eod. in 6to,* & factum cuique ſuum non tertio præjudicet. *l. 115. pr. ff. de R. I.* Unde hic vel maxime obtinebit *l. 35 ff. eod.* eo genere quidquid diſſolvi, quo colligatum fuit, adeoque & cognatorum conſenſum circa hanc immutationem pariter requirendum eſſe *add. Speciem facti ejusq; reſolutionem Anno 1677. in Facultate Iuridica Efurtenſi conceptam & exhibitam ab Ill. Dn. Stryk. c. l. §. 26.* Et hoc dein caſu noviſſima valent, ac derogant prioribus *l. Pacta noviſſima. C. de pact. l. 27. §. 2. ff. eod.* Exemplo ultimarum voluntatum *§. 2. I. quib. mod. teſtam. inf.* Et ſicut in ultimo teſtamento ſemper ineſt tacite clauſula caſſans & irritans teſtamentum præcedens: Ita etiam in contractibus, pro tanto, quod non ſit neceſſe apponere illa verba: Caſſantes & irritantes omnem alium contractum præcedentem, quia hoc tacite intelligitur, ut notat *Bald. in cap. 1. de tranſact. Schurpf. cent. 2. conf. 60. n. 5. 6.* Porro a pactionibus nuptialibus receditur, ſi dotis naturam impugnent, vel ejus cauſam reddant deteriorem, v. gr. ſi pactum, ne dos omnino petatur, ne dos reddatur, vel ut longiore demum die reddatur, ne ſoluto matrimonio uxoris ſuperſtiti, ſed liberis cedat &c. aut plane indotatas mulieres reddant *vid. l. 2. l. 4. l. 5. l. 6. l. 12. §. 1. l. 14. l. 16. ff. l. 3. C. & paſſim h. t. Ill. Dn. Meur. l. c. cap. 7. §. 1.* Non poteſt etiam parens ad repetiti matrimonii vota migrans, vel filius, filiave nimia profuſione patrimonium ſuum etiam quod bona quæſita ita exhaurire ut parentum vel liberorum legitima imminuatur. *St. H. P. 3. lit. 1. art. 23. & 28. add. citatos Dn. Meurero c. l.* Pariter ſi per pacta dotalia in fraudem crediturum bona debitoris alienentur, nullatenus eadem valere patet *ex rubr. & tot. tit. ff. quæ in fraud. cred. facta ſunt, ut reſtituantur. vid. Mevius ad Jus Lubec. P. 2. tit. 2. art. 12. num. 487. &c.* Et generatim, quæcunque pacta juri publico qua ſcripto,

qua

qua non ſcripto derogant & repugnant, invalida atque nulla ſunt *Carpz. P. 2. c. 43. d. 1. n. 6.* Inſuper vero etiam aliqua pacta dot. impune negligi poſſunt, nimirum ſi poſt alterutrius conjugis mortem, ſuperſtes & prædefuncti heredes ſuper bonis relictis invicem paciſcantur, & aliam ſibi dicant Legem; cui nihil magis congruum, quam eam ſervare. *l. 1. ff. de pactis. vid. Mev. ad Jus Lubec. P. 2. tit. 2 art. 12. n. 387. &c.* Ita matrimonio per divortium ſoluto paciſci licet de eo, quod ante erat prohibitum *l. 18. l. 20. pr. ff. h. t.* Quin nec illis caſibus pacta conventa ſervanda ſunt, quibus jura lucrum dotis vel donationis propter nuptias alteri conjugi in pœnam adimunt, v. gr.

(1) ob adulterium, quod ſi a marito admiſſum, non ſolum dotem, quam mortua uxore vigore pacti lucraretur, ſed etiam donationem propter nuptias in compenſationem dotis factam, ita ut eam uxor integram percipiat, denique omne lucrum & commodum ex bonis uxoris ſibi pactis promiſſum amittit *Nov. 117. c. 8.* Si uxor adulterium commiſit, ſiquidem ante maritum moriatur, adulteræ heredibus dotem vigore pactorum a marito repetere volentibus exceptio adulterii recte objicitur. *l. ult. C. ad L. Jul. de adult. l. conſenſu 8. §. 3. & 6. l. 11. §. 1. C. de repudiis Carpz. Crim. quæſt. 64. n. 2. & ſeqq.* Superſtitem adulteram extra dubium eſt lucro pactis promiſſo privari, cum non mereatur amoris præmium, quæ amorem non ſervavit. *add. cap. 4. x. de donat. inter vir & uxor. vid. late Mev. ad Jus Lubec P. 2. tit. 2. art. 12. n. 408.-415.*

(2) ob turpem & luxurioſam viduarum vitam, ſi impudicitia & levitate ſe ad ſtuprum, aliasque libidines ſeduci patiantur. Tunc enim ſimiliter lucrum ſtatuarium, vel quod in hujus ſuccedit locum, pactitium *Gail. 2. obſerv. 80. n. 13.* amittitur *Hieron. de Cævel. Spec. comm. op. qv. 708. n. 10. & ſeq. Gail. 2. O. 98. n. 15. vid. Nov. 39. cap. fin. junct. l. 11. C. de repud. Mev. c. l. n. 416.-424.*

(3) per ſecundas nuptias intra annum luctus contractas poſt mortem alterius conjugis privatur ſuperſtes lucro nuptiali, quod defunctus conceſſit. *l. 1. 2. C. de Sec. nupt. Nov. 39. cap. f. vid. latius Mev. c. l. n. 425. & ſeqq. & Gail. 2. O. 98. ubi num. 8. ait:* Licet pœnæ juris civilis in odium ſecundi Matrimonii præponere contracti impoſitæ de jure Canonico ſint ſublatæ *per cap. pen. & fin. x. de ſec. nupt.* tamen pœnæ Juris civilis in favorem filiorum primi matrimonii appoſitæ (videlicet ut amittat proprietatem rerum ex facultatibus prioris mariti lucrativo

titulo

titulo acceptarum, easque vel omnibus liberis prioris matrimonii in injuriæ ſolatium, vel uni illorum, vid. tamen *auth. lucrum hoc C. de Sec. Nuptiis*, ſervata aliis legitima, reſervare teneatur, ſolo uſufructu penes illam remanente, quamdiu vixerit. *l.3. C. de Sec. Nuptiis*) non ſunt ſublatæ *ut notant commun. Ddres, vid. lat. Gail. c. l. add. Perez. in C. de Sec. Nuptiis. n. 4. 5. qui n. 19.* tradit pœnas intra annum luctus nubentium *l.3. C. h. t.* ob utilitatem liberorum introductas hodie etiamnum vim ſuam obtinere. Cœterum Jure Hamburgenſi hoc caſu quid obtineat, ex *Stat. H. P. 3, tit. 3. art. 4. & 6. pateſcit.*

(4) ſi conjux conjugem utut adulterii ſuſpectam necet, vel necem ſaltim molitus ſit, perdit ea, quæ in caſum mortis ex pacto ipſi debentur *l. ab hoſtibus 10. §. ſi vir. 1. ff. ſol. matr.* & devolvuntur ad defuncti conjugis heredes *vid Mev. c. l. n. 430. & ſeqq.*

(5) Conjux denegans conjugi malitioſe alimenta lucri pactitii ademtione merito mulctatur *l. 3. ff. de his quæ ut indign.* cum necare videatur qui non alit. *l. 4. ff. de agnoſc. vid. Mev. l. c. n. 435. &c.*

(6) conjux conjugem male & duriter usque ad tempus mortis tractans v. gr. expellendo eam ex domo, amiſſione lucri plectitur. *vid. Mev. l. c. n. 439. & ſeqq.*

(7) conjuges ſe invicem adulterii accuſantes nec obtinentes, indigni ſunt portione pactitia. *Mev. l. c. n. 444.*

(8) non vindicata per ſuperſtitem nece occiſi ab alio conjugis, lucrum pactitium amori datum merito ceſſat. *l. 20. & l. 21. ff. de his, quæ ut indign.*

(9) amittit omne lucrum ob malitioſam deſertionem deſerens. *Nov. 22. c. 15. §. 2. Nov. 117. cap. 8. §. ſi nolente.* Innocenti vero manet lucrum ex omnibus deſerentis bonis, quæ tempore diſſoluti Mattimonii habuit. *vid. Mev. l. c. n. 445. & ſeqq.*

(10) cauſam amiſſioni lucri præbet ſi uxor infirma negligatur nec adhibeatur medicus *l. 3. ff. de his, quæ ut indignis auf. vid. cit. Mev. c. l. n. 452.*

(11) ex quavis juſta divortii cauſa, aut ſeparationis quoad thorum & menſam altero invito factæ, conjux ſeparationi cauſam præbens lucro omni carere, inſons vero eo non privari debet. *l. 38. ff. ſoluto Matrim. cap. plerumque x. de donat. int. vir. & uxor. Pek. lib. 4. de teſtam. conjug. cap. 12. num. 4. in f. Schurf. cent. 1. conſ. 42. num. 1. & 8.*

(12) ſi conjux lucro ſibi promiſſo expreſſe renunciet. *Mev. c. l. num. 455.* Hic denique notandus eſt.

(13) ca-

(13) caſus quo oſculo ſponſalia firmata ſunt *vid. l. 16. C. de don. ant. nupt.* aut ſi in Pactis dotalibus conventum, ut ex die contractorum pactorum lucrum utrinque promiſſum debeatur, dein culpa alterutrius matrimonium non ſequatur, quid ſtatuendum ſit? Diſtinguendum erit, utrum culpa donatarii nuptiæ non ſequantur, & omne donatum repeti poterit: an donantis culpa, & is non tantum nil repetere, ſed & promiſſum, & nondum traditum ab ipſo exigi poteſt. *l. 15. C. de donat. ante nuptias Bachov. ad §. 3. J. de donat. Hahn & Weſenbec. ad ff. de ſponſal. n. 6.* & ſimpliciter cujus culpa deficit Matrimonium, is nihil retinere vel repetere poteſt. *vid. Carpz. Jpr. for. P. 3. conſt. 19. def. 9. add. Mev. ad. Jus Lubec. P. 1. tit. 6. rubr. num. 9. & ſeq.* His ergo caſibus Pacta dotalia ceu normam obſervare paciſcentes non ſunt obſtricti, quibus quin alii inſuper addi queant nullus dubitaverim, v. gr. ſi maritus ſit ad inopiam redactus. *l. 29. l. 30. C. de jure dotium,* vel uxor ad alendum Patrem dotem exigat *&c. vid. Perez ſi dos conſtante Matrim. vid. late Gail. 2. Obſerv 83. & ſeqq.* ſic ſi dos non ſit numerata & præſtita, lucrum ex pactis peti nequit, *auth. dos data. C. de donat. ant. nupt. auth. ſed quæ nihil. C. de pact. convent. Nov. 2. cap. ult. Nov. 91. cap. 2.* quia dotis contractis non nudo conſenſu & promiſſione, ſed datione & re perficitur. *l. 23 ff. de R. I.* Nec obſtat, quod promiſſa & numerata æquiparentur. Obtinet enim hoc, quando eadem ſubeſt ratio & eundem effectum promiſſio operatur, quem habet numeratio. *l. f. C. ad L. Falcid. funct. 31. §. 18. ff. de ædil. edict. l. 5. §. fin. ff. de re milit. l. 12. C. qui pot. in pignor. &c. vid. Cothman. v. 1. reſp. 50. num. 113. Schurff. cent. 1. conſ. 32. num. 3. & 4. add. Dn. Stryk l. c. §. 29.* Interim hoſce brevitatis ſtudio enumeraſſe potius quam pertractaſſe ſum contentus.

AC VIDUÆ.

Imo & viduo & reliquis defuncti conjugis heredibus ob rationis ubique militantis paritatem.

ELECTIO AD JUS STATUTARIUM AUT PACTA DOTALIA CONFUGIENDI HOC IPSO ADEMTA EST.

Ratio Statuti & ejus extenſio ad caſum, etiamſi conjux prætendat læſionem ultra dimidium.

ADeoque ſuperſtes conjux ſive viduus, ſive vidua ſit, cogetur contentus eſſe iis, quæ pacto dotali in caſum mortis conventa ſunt,

F nec

nec poteſt regredi ad portionem ſtatuto definitam. *Peck. tract. de teſtam. Conjug. l. 1. c. 32. n. 5.* tum quia pacta dotalia omnino obſervanda ſunt, derogant juri & obligant partes, tum quia ſupervacua & futilia forent relicto paciſcentibus ſervandi arbitrio, cum tamen actum fruſtratorium nemo præſumatur facere *l. 1. in f. ff. ad Municip. l. un. C. de theſaur.* juraque illum abhorreant. *l. 14. ff. ut. legator. ſeu fideicommiſſ.* Tum quod proviſio hominis tollit proviſionem Legis *l. 2. C. de execut. rei jud. l. 5. §. 14. ff. commod.* Nec audienda eſt vidua, aut ad reſciſſionem pactorum dotalium admittenda, ſi vel læſionem ultra dimidium prætendat, dum forte maritus 20000. poſſidens 3000. in caſum mortis uxori aſſignavit. Nam teſte *Cothman. vol. 3. conſ. 28. n. 48.* jure moribusque plerorumque populorum pacta dotalia ob enormiſſimam læſionem non reſcinduntur, tum ob incertitudinem mortis alterius, & futuræ atque adhuc incertæ ſucceſſionis *Tiraquell. ad l. ſi unquam 8. verb. donatione largitus n. 128. C. de donat. Rauchbar. p. 1. quæſt. 20. n. 17.* tum quod uxori tempore pacti ante nuptias facti nihil debitum, *vid. Mev. c. l. n. 376. & ſeqq.* & licebat ei non inire matrimonium hac conditione, indeque volenti uxori non fiet injuria, poſtquam ſe pactorum dotalium legi ultro adſtrinxit. Interim beneficium tamen *auth. Præterea. C. unde vir & uxor* conjugi inopi adimi non poſſe per pacta dotalia cum *Mevio l. c. n. 378. add. Gail. 2. obſ. 87. num. 1. in f.* cenſeo.

SED OPORTET IPSAM DOTALES CONVENTIONES SEQUI.

Ratio & Ampliatio aſſertionis. Æqualitatem in pactis dotalibus non amplius requiri.

NEmpe ob ſupra jam dictam Pacti utrumque ineuntem obligantis naturam dotal. conventiones præciſe cuſtodiendæ ſunt, *Gail. 2. O. 126. n. 3. Cothm. vol. 3. conſ. 28. num. 26.* ſumme favorabiles habentur *Cothm. conſ. 78. n. 61. vol. 2.* & ipſo ſtatuto prævalent, ita ut ex hoc controverſia non decidatur, ſi ex illis appareat, quid dicendum ſit. *l. 34. ff. de R. J. Cothm. conſ. 92. num. 4. vol. 2.* Nec tantum obſervandæ, ſi ſtatuto ejusque lucris quid addunt, ſed etiam ſi demunt, cum unicuique conjugum ſuo juri renunciare permiſſum ſit. *l. pen. C. de pactis.* Neque requiritur in iis ex parte utriusque conjugum exquiſita æqualitas, ſed quod conventum, id ſervandum eſt. Non enim ad pacta dot. pertinet *auth. æqualitas C. de pact. convent. vid. Mev. c. l. n. 364.* quæ etiam hodie

die ex generali quadam omnium fere locorum conſuetudine non obſervatur, præprimis cum & de Jure civili pactis antenuptialibus jam immutari potuerit, prout teſtatur, & docet *Gail. 2. obſ. 78. num. 2. & 5.* Et licet *Cothmannus volum. 1. reſp. 50. num. 95. & ſeqq.* acriter defendat, conventionem inter ſponſos initam pactis æqualibus fieri & iniri debere non tantum quoad dotem dandam, & dotalitium conſtituendum, ſed & quoad lucri perceptionem, attamen in antecedenti *num. 35. & dein num. 99.* reſtringit hanc Concluſionem, aſſerens æqualitate a Juſtiniano introducta *d. auth. æqualitas & Nov. 79. cap. 1.* paulatim eſſe factum, ut jus iſtud æquiſſimum inſuper haberetur, & quibusdam in locis ex uſu recederet. *gl. in d. auth. æqualitas.* Hinc *Baldus* jus iſtud de æqualitate pactorum obſervanda explicaturus: Æqualitas, inquit, ſecundum Codicis Leges ſervanda eſt quotitative, ſecundum novellum jus etiam quantitative, ſecundum conſuetudinem multorum locorum neutro modo. *in l. ex morte C. de pact. convent.* Et pacta inæqualia temporis progreſſu admiſſa & recepta, atque etiam ab iis, qui ſe JCtos profitentur, defenſa ſunt, præſertim ſi ante facta ſint quam nuptiæ celebrentur. *Angel. & Salicet. in d. auth. æqualitas: aliique:* in tantum, ut quoque conventiones de dote recipienda, & eo amplius ex pacto interpoſito, vel dota donatione propter nuptias vel parte ejus lucranda interponi & fieri cæperint. *vid. Cothmann. c. l. add. Schurpf. cent. 2. conſ. 91. ibique cit. & cent. 3. conſ. 69. num. 2. 3.* Hæc ſunt, quæ circa ſtatuti Patrii intellectum & Orationem internam declarandam habui obſervanda, quæ ſimul Pactorum dot. naturam luculenter, ut ſpero, indigitabunt, atque demonſtrabunt. Nunc ordo expoſcit, ad alteram diſſertationis partem, quam potiorem ſupra dixi, & quæ rationem ſtatuti erit indagatura, ut progrediar. Sit ergo

SECTIO III.

De Mentali rationabili Interpretatione.

Membr. I.

Cauſam Statuti expendit, idque confert cum Jure Civili, Canonico, & Divino, ut & Naturali qua optimo, ſive rationali, qua ſecundarjo, ſive Politico & Statiſtico.

§. I.

Ratio Statuti, pacta dotalia rite confecta ſervari præcipientis tum Naturalis: (Pacta de futura ſucceſſione non repugnare juri naturæ:) tum Politica.

CAuſam ſtatuti noſtri inquiſiturus non opus exiſtimo multa verborum ambage obſervare, quam variæ ac multiplices dentur Legum cauſæ, *qua de re vid. Excell. Dn. Placcius Patron. maximopere colendus JCti perfecti Cap IV. Addit. 7. §. 5. & ſeqq.* Id ſaltem ex ſuperioribus *Sect. I. §. 5. junct. Sect. II. verb. requiruntur:* repetendum duco, Statutum noſtrum bina potiſſimum ſumma Capita continere, quæ & hoc loco ab invicem ſeparaſſe, operæ ſit futurum pretium, vel eum ob finem, ut circa cauſſam ſtatuto aſſignandam eo diſtinctius & accuratius queam progredi. Itaque circa primum Legis Patriæ Membrum primo loco conſiderandum, quo Pacta dotalia legitime inita & conſummata præciſe eſſe ſervanda & ſequenda, diviſionemque bonorum ſecundum illa facienda præcipitur, non ſolicite adeo quærendum reor, utrum cauſſa ſtricte dicta eidem ſubſit (quod tamen non negandum cenſuerim, præcipue dicta ſuperius Sect. I. in fine conſiderans) necne: Sufficiet rationem ejus in aperto poſitam Naturalem æque ac Politicam demonſtraſſe. Et quidem ſive cum incomparabili *Grotio*, dictamen rectæ rationis, *de J. B. & P. l. 1. cap. 1. §. 10.* ſive *cum Illuſtriſ. Barone de Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. lib. 2. cap. 2. §. 15.* ſocialitatem omnium hominum erga ſe invicem, cui conſentit *Dn. Præſes Inſtit. Jprud. Div. lib. 1. cap. 4. §. 29. & ſeqq. §. 64.* ſive *cum Excell. Dn. Placc. l. c. §. 9 num. 54. & in Jure Naturali propediem in publicum prodituro lib. 1. cap. 1. Sect. 3. §. 3. reg. 12.* charitatem, a qua ſententia nec alienus videtur acutiſſimus Angliæ Philoſophus *Richardus Cumberland de LLbus Nat. cap. 1. §. 4.* Benevolentiam maximam omnium erga omnes, inculcans, fundamentum & ſupremam totius Juris Naturalis Legem ſtatuere quis velit, eodem res omnis recidet. Etenim nihil magis recta ratio dictitat (modo tamen recte examinetur: Nam quod ſæpe diverſa & contraria enunciata recta ratione niti venditentur, id non ex ipſa ratione ſana, ſed ex vitio male ratiocinantium & erroneas falſasque opiniones pro genuina veritate amplectentium provenit) nihil magis ſocialitati & tranquillitati humanæ congruum, nihil

denique

denique magis charitas atque mutua benevolentia clamat, atque adeo imperat, quam ea, quæ inter aliquos placuerunt, ſervare §. *40. J. de rer. div. l. 1. pr. ff. de pactis l. 1. ff. de conſtit. pec. l. 84.* §. *1. de R. J.* ceu Legem quam quis ipſe ſibi dixerit. Nolo hic rationes afferre, quas Juris Naturalis Ddres hanc in rem recenſent. Videantur hæ *ap. Grot. de J. B. & P. libr. 2. cap. XI. Dn. de Pufendorf. de J. N. & G. libr. 3. cap. 4. & ſeqq. Dn. Præſidem c. l. libr. 2. cap. 3.* §. *ult. & cap. VII. aliosque.* Quare quoties Matrimonium inituri pacta conventa quædam faciunt ſuper dote, donationeve propter nuptias, aliisque capitulis in conjugio obſervandis, imo de ipſa futura ſucceſſione, in bona reliqua altero conjuge defuncto a ſuperſtite facienda, merito valent, & exactiſſime ſunt obſervanda. Equidem audacter nimis *Cothman. conſ. 21. n. 22. & conſ. 8. num. 13. vol. 1.* & cum ipſo alii pronunciant Pactum de futura ſucceſſione jure divino, naturæ, gentium & civili improbari, tum 1. quod hereditatis & mortis alienæ captandæ votum inducat, *l. ſi majores C. de tranſactionibus*, tum 2. quod pacto hereditas vel bonorum poſſeſſio non detur *l. ult. ff. de ſuis & legit. hered. l. epiſtola pr ff. de pactis*, tum 3 quod ſupremam voluntatem, quæ libera eſſe debet *l. 1. C. de ſacror. Eccleſ.* impedit. *l. pactum quod dotali. C. de pactis convent.* Cæterum de jure gentium & civili nunc nil attinet dicere, cum ſuperius jam oſtenderim de univerſali fere Germaniæ conſuetudine hodie pacta dotalia de futura ſucceſſione rite & legitime diſponere. Quid Jure divino obtineat, ex collatione Statuti cum eodem infra propediem patebit. Juri Naturali pactum de futura ſucceſſione adverſari negatur. Nec obſtant rationes a Cothmanno allatæ. Ad primam enim reſpondeo: Illud non ex natura pacti venire, neque per ſe, ſed ad modum per accidens & ex malis paciſcentium moribus, pactique abuſu ſive pravo uſu. Ob quem qui improbare velit res alias in ſe bonas aut minimum indifferentes, næ is multa habebit emendanda, imo tollenda atque penitus rejicienda. Secunda ratio provenit ex ſubtilitate juris civilis, qua pacta nuda non pariebant actionem, nec ullam civilis obligationis efficacis vim, niſi per Exceptionem § *3. I. de Except. pr. I. de Replic.* habebant *l. 7.* §. *4 ff. de pact. Ddres ad h. t. communiter.* Hinc altero paciſcente mortuo hereditas ejus peti non poterat vigore ſolius pacti. Sed ſubtilitas hæc Juris Civilis Jure Canonico *cap. 1. & 3. x. de pactis*, adeo, ut & moribus hodiernis *vid. Weſenbec. paratitl. ff. de pactis n. 9. aliosq; Ddres* jam ſublata tantum abeſt, ut Jure Naturæ ap-

 probetur,

probetur, ut potius contrarium de eodem Jure acriter ſit defendendum. *vid.Grotium de J.B.& P. l. 2. c. 7. §. XI. n. 1. Dn.de Pufendorf. de J.N. & G. lib. 4. cap. 9. & ſeq. Dn. Præſidem l. c. l. 2. c. 10. n 156. & 162. ibiq; not. Z.* Tertia denique ratio parum me movet. Licet enim libertas teſtandi ſit juris naturalis, attamen contraria conſuetudine & lege poſitiva immutari reſtringive poteſt. *vid Reſp.Facult.Jurid.de anno 1675. d. 16. Aug. ap. Ill. Dn. Stryk. loc. ſæp. cit. §. 20. rat* 4. add. Exempl. *in Stat. H. P. 3. tit. 1. art. 4.* Et expediti juris eſt, quemlibet beneficio adeoque & juri teſtandi pro ſe introducto poſſe renunciare. *l. 29. C. de pactis & ſexcentis locis aliis.* Manet ergo firmum certumque, de Jure Naturæ Pacta dotalia etiam de futura ſucceſſione diſponentia religioſiſſime ſervanda, ſancta & inviolabilia eſſe *arg. l. 6. C. de dotis prom. & nud. pollicit.* Cum enim in arbitrio cujuscunque ſit, hoc facere, quod inſtituit, oportet eum vel minime ad hoc proſilire, vel cum ad hoc venire properaverit; non quibusdam excogitatis artibus ſuum propoſitum defraudare, tantamque indevotionem quibusdam quaſi legitimis velamentis protegere; *ut loquitur Imperator in l. 35. §. 5. C. de donation.* Quæ ſententia multo magis confirmatur, ſi perpendo, caſus dari poſſe innumeros, quibus ſtatutaria ſucceſſio conjugum & a Jure communi omnique adeo poſitivo, imo & a Jure Naturali devia reduci debeat ad æquitatem, vel ex ſocialitate vel ex charitate ſola juſti legem faciente, determinandam. Quæ ſive ſocialitas ſive charitas inter conjuges minimum reduci merebitur ad conjugii felicitatem. Idque cum per pacta dotalia (quæ eum in finem etiam inter remedia conſervandi optimi conjugii Ratio ſtatus præſcribit, ut demonſtrabitur *ab Excell. Dn. Placc. in Jur. Nat. propediem publicando Lib. II. cap. 3. part. poſter. §. 22. in fine)* quam commodiſſime fiat, ceu per Legislationem quampiam privatam, qua multa vel ante vel poſt nuptias queunt provideri, liquet ſanctiſſime illa eſſe ſervanda, & vel diviſionem bonorum ſecundum illa faciendam. Inventa jam ratione naturali, ulterius diſpiciam, quanam Politica ratione ſtatutum nitatur. Sane neutiquam a veræ Politicæ præceptis alienum pacta conventa ſtrenue ſervare, nec fidem datam fallere, quicquid etiam reclament Pſeudopolitici, eorumque facile Coryphæus *Machiavellus in Principe cap. 18.* Rectius longe docent veræ ſcientiæ civilis Ddres, interque eos *Scipio Claromontius de Ratione Status lib. 1. cap. 46. Claſen. compend. Politic. cap. 7. §. 1. ibiq; in not. num. 7. & §. 9. aliiq;.* Quid? quod vel pactionibus dot. multæ litium occaſiones

nes in ſucceſſione ab inteſtato facile naſcituræ præſcindi & amputari queant, quod fieri utique Reipubl. intereſt, *l. 2. pr. ff. de aqua. & aqu. pluv. arc. l. 2. C. de re jud. l. 13. C. de judiciis &c.* Imo ſaluti dotis mulierum his conſuli poteſt, quod pariter ex Reipubl. utilitate futurum JCtus judicat. *l. 2. ff. de jure dot.* Præprimis autem vel eam ob cauſam Pacta dotalia accurate ſervanda venerandi Majores noſtri voluerunt, ne Politica ratio teſtamentorum de hereditariis bonis vetitorum *Stat. H. part. 3. tit. l. art. 4. & ſeqq.* paſſim in conſervatione & ſplendore familiarum *l. 1. §. 13. ff. de ventre inſpic.* utilitateque publica, ne divitiæ alio exportentur, conſiſtens, plane eluſoria eſſet evaſura. Quod ſæpe numero cum contingere poſſet per ſucceſſionem conjugum ſtatutariam v. gr. ſi dives altera pars alteri pauperi nubat, quæ bonorum ſuorum maximam partem illi familiæ diviti ſit ſucceſſione ſtatutaria ſubverſura, hinc LLatores noſtri pacta dotalia introduxerunt, approbarunt, ac per hæc illi malo non tantum obicem poſuerunt, ſed & medelam attulerunt. Quæ quo efficacior eſſet, pactiones haſce nuptiales per modum pacti obligatorii ineundas religioſe ſervandas, nec ab alterutra parte ſola revocandas ſanciverunt. *vid. Ration. decid. ſecundam in reſponſo Inclytæ Facultatis Jurid. Francofurtenſis de anno 1677. d. 31. Dec. apud Illuſtr. Dominum Stryk. c. l. §. 26.* Quam conſiderationem ſummum aliquando JCtum in eum adduxiſſe opinionem percepi, ut caſu modo propoſito, ſi dives nubat pauperiori, Neceſſitatem pacta dotalia conficiendi cenſuerit imponendam parti pauperiori, quin adeo utrique, petente parte ditiore, vel hujus ſaltim cognatis, ipſa etiam invita. Quod tamen an fieri poſſit, licet dubitem, attamen Jure naturali facile agnoſco neceſſitatem moralem illo in caſu, quo ſine pacto alterutra pars tali ſtatuto ſucceſſorio poſſet enormiter lædi v. gr. ſi uxor ditata cogeretur dare ſuorum bonorum maximam partem pauperis mariti cognatis, conjugio ſine prole per mortem mariti finito. *contr. l. 14. ff. de conditione indeb.* Hæc de cauſis ſive rationibus prioris Membri.

§. II.

Ratio, cur proximorum agnatorum conſenſus fuerit requiſitus, ex ratione Status Ariſtocratici deducitur.

CIrca poſterius Statuti membrum, conſenſum proximorum cognatorum requirens, altius ratio petenda videtur. Sane id liquido manifeſtum, naturalem rationem hujus Statuti vix dari. Quippe Lege Naturæ quilibet ætatis perfectæ, & integræ mentis rerum ſuarum

rum

rum optimus adminiſtrator & arbiter, nec in adminiſtratione bonorum ſuorum ullum ullius cognati conſenſum requirere tenetur, & nihil tam naturali æquitati conveniens, quam voluntatem Domini volentis rem ſuam in alium transferri, ratam haberi. §. *40. I. de R. D. vid. Grotium de J.B. & P. l.2. cap. 6. §.1. Illuſtr. Dn. de Pufendorf. de J.N. & G. l. 4. cap. 9. §. 1. & 2. Dn. Præſidem Inſtitut. Iprud. div. l. 2. cap. 10. §. 34. & 156.* Licet id negare nolim, in alienatione bonorum cæteris paribus cognatos præferendos, legem charitatis ſvadere, atque adeo imperare, *vid. Grot. c. l. cap. 7. § 3. Dn. de Pufendorf. c. l. cap. 11. Dn. Præſidem c. l. § 180. Unde Cævallos in ſpec. aur. Opinion. comm. contr. commun. qu. 275.* meritorium id cenſet. At vero cum matrimonium ſit arctiſſimum conjunctionis late dictæ (affinitatem nempe & cognationem comprehendentis) vinculum & arctiſſimus conjugum amor & firmiſſima amicitia ſemper præſumatur, vel hoc intuitu conjux conjugem cæteris paribus aliis cognatis præferet. Ut adeo conſenſus cognatorum circa pacta dotalia conſtituenda de Jure Nat. neutiquam requiri videatur, ne adimatur ulli naturalis libertas de rebus ſuis libere diſponendi, tam inter vivos, quam mortis cauſa, & in ejus eventum. Proinde per conſequens nulla naturalis ratio huic Legis capiti ſuberit. Sed nec neceſſitatem, cum raro illa ſit præſumenda, & non niſi deficientibus melioribus cauſis admittenda *Excellent. Dn. Placc. Icto perfect. cap. 4. §. 17.* vel opinionem Latoris cauſam Legi dediſſe ſit veroſimile. An conſuetudo ſtatutum produxerit ex formulis & Legibus antiquis ſupra citatis conjici forte quid poſſet, niſi inquirendum prius potiusque videretur, an non ex affectu vel politica ratione diſpoſitio hæc orta ſit. Et licet ambigi poſſit, an non affectus, favor nempe cognatorum, ſtatuto cauſam dederit: attamen cum in dubio potius pro ratione quam cauſa ſtricte dicta ſit præſumendum *ob dicta Dn. Placcio c. l. §. 9.* & hic ipſe affectus ratione Politica niti poſſit, hinc merito diſpiciendum, an nulla ratio ex Politica doctrina peti queat? Quod quidem hujus ſcientiæ præcepta cum ſtatu Reip. Patriæ præprimis antiquo conferens nullatenus negaverim. Etenim id ſollicite venerandos Patres Patriæ olim egiſſe certum & indubitatum eſt, ut ordo & dignitas familiarum præcipue opulentarum ſemper ſalva ſit *l. 1. §. 3 ff. de ventr. inſpic.* & bona, quæ poſſiderent, ipſis conſervarentur illæſa, ne non ſufficerent Magiſtratui tunc ſine honorario magis Ariſtocratice quam nunc etiam gerendo, & mercaturæ omnino divites aliqui (Capitaliſten)

liſten) ut amplificentur, exigenti. Quem finem ut eo certius obtinerent, ſaluberrimo plane conſilio ipſas perſonas conjunctas invicem vigilare voluerunt, ſanciveruntque, ut bona alienaturus conſenſum præprimis cognatorum proximorum requirat. Quod ipſum ex multis Statutarii locis facile probatu eſt. Inde enim diſpoſitum deprehenditur, ne bona hæreditaria absque conſenſu cognatorum teſtamento alienentur. *St. H. P. 3. tit. 1. art. 4. 10. 11. &c.* Pactis autem dotalibus initis revera fit teſtamentum, & quidem pacto adjecto quaſi de non amplius ambulatoria habenda voluntate ultima, contra ſuam naturam alias eſſentialem, quaſi contractu firmatum. Porro præceptum legitur, ut bona immobilia vendturus prius offerat duobus ſuis proximis cognatis *P. 2. tit. 8. art. 2.* & aliis locis plurimis partis ſupra jam citatis *v. gr. P. 3. tit. 1. art. 18. P. 3. tit. 3. art. 4. &c.* Hinc merito ſtatuerunt etiam, ut circa Pacta dotalia legitime ineunda conſenſus proximorum cognatorum adhiberetur, ne quid in ipſorum præjudicium in illis agatur.

§. III.

Collatio Statuti cum aliis juribus, quoad Membrum prius.

RAtionibus Statuti indagatis, naturaque pactorum dotalium hodierna jam expoſita, facilis inſtituetur Collatio Legis noſtræ cum Juribus reliquis in Civitate obſervari ſolitis. Et quidem hic denuo ſeorſim conſideranda venient membra ſtatuti bina; Quorum priori (1) Jus Civile omnino contrariari ſupra ſæpe jam attigi. Nam licet quidem legem, quam quis doti dixerit, ſervandam eſſe ſanciat *l. 1. C. de pact. conventis:* attamen variis limitationibus eandem regulam reſtringit. Præterea olim plane alia videtur fuiſſe pactorum dot. natura, ac hodie, dum olim præcipue tantum de dote, diſſoluto matrimonio, reddenda inibantur, *vid. tot. tit. ff. de pact. dot.* unde & illæ definitiones Ddrum, quas ſupra Sect. II. jam recenſui, nihil vero de futura ſucceſſione in illis diſponi poterat, ceu quod illicitum reputabatur *l. 15. & 30. C. de pact. l. 5. C. de pactis convent.* Hodie conſuetudine & vi ſtatuti ſecus id obtinet, prout pariter ſuperius Sect. II. jam notatum habeo. Imo jure Civili in dotalibus inſtrumentis id obſervari debebat, ut donatio propter nuptias, quæ a marito uxori ad remunerationem dotis datæ *auth. dos data C. de donation. ante nupt.* conferebatur, doti ex aſſe exæquaretur. *l. 9. & auth. æqualitas, C. de pact. convent.* Sed nec hanc æqualitatem ſtatutum exigit, & tabulæ dotales quondam inſpectæ ſatis

evincunt, neutiquam obſervari illam in Patria dulciſſima amplius. *vid. Gail. 2. O. 78. & ſupr. Sect. II. inf.* (2) Jus Canonicum quatenus conſentiat peti poteſt ex *cap. fin. x. de donat. inter vir. & uxor.* ubi Gregorius ita reſcribit: *Soluto matrimonio ſicut dos ad mulierem, ſic & donatio propter nuptias redit ad virum, niſi de conſuetudine ſecus obtineat, vel ex pacto de lucranda dote & donatione propter nuptias, quod æquale ſit, tamen hinc inde contrarium inducatur.* Et repeti hic poteſt, quod pacta nuda de Jure civili nullam actionem parientia, hoc jure Canonico vim obligandi valide ſint conſecuta *cap. 1. & 3. x. de pactis.* Imo Pacta de ſucceſſione futura Jure Canon. valent modo juramento firmentur: Ita enim Pontifex *in cap. 2. de pact. in 6to. Quamvis pactum patri factum a filia dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbet Lex civilis: ſi tamen juramento non vi, nec dolo præſtito firmatum fuerit, ab eadem omnino ſervari debebit. Cum non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum.* (3) Jus Naturale optimum quin ſtatuto conſentiat, vix dubitare quis poterit, cum rationem ejus inde petierim, & quomodo hoc jure probetur, prolixe, ut opinor, oſtenderim. (4) Jus divinum morale cum a naturali optimo haud ſit alienum, nec a Statuto noſtro diſſonum eſſe patet, præcipue ſi vel conſulamus *Pſalm. V. v. 7. Apocal. XXI. v. 8. & XXII. v. 15.* Imo Apoſtolus expreſſe ait: *Gal. III, 15.* Hominis pactum neminem repudiare aut immutare add. quæ habet *Grot. de J. B. & P. l. 2. cap. 11. §. 4.* Forenſe jus divinum an quippiam de pactis dot. diſponat, non recordor. (5) Denique jus Politicum ſeu ſtatiſticum ob rationem inde petitam egregie ſtatuto quin conſentiat, nullum poterit eſſe dubium.

§. IV.

Collatio Statuti cum aliis juribus, quoad Membrum poſterius.

MEmbrum Legis Patriæ poſterius conſenſum cognatorum proximorum requirens, ſi conferatur cum reliquis juribus obſervare licebit (1) Jure civili ad pacta dotalia ſaltem conſenſum dotem dantis & accipientis requiri, usque adeo, ut quandoque ne quidem ſponſæ conſenſus requiratur, & ipſa invita dotem dans recte paciſci poſſit, ut colligitur *ex l. 7. pr. l. 20. §. 1. et paſſim ff. de pact. dotal.* At noſtro jure idem non procedet ob verba zwiſchen Eheleuten indigitantia utriusq; conjugis conſenſum eſſe neceſſarium. Sane hoc inſuper certum eſt, præter conjuges etiam alios requiri, ut ſubſiſtant pactiones dotales, quod ſatis evincunt verba, und von denen die zur Verpflichtung dazu erfor-

erfodert, ſeyn vollenzogen. Quid porro circa curatorem a parte mulieris adhibendum diverſum civili, a noſtro Jure obtineat, jam ſupra attigi. (2) In Jure Canonico non recordor determinari, quorum conſenſus ad pactorum dot. valorem requiratur. (3) Neque Jure Naturali, niſi forte per accidens, ſi quorum in fraudem, quibus obſtricta ſunt alterius paciſcentis bona, quid fieri poſſit, ut nec (4) Divino Morali videtur neceſſarius ulterior conſenſus quam conjugum & ejus qui ſponſam dotat, niſi forte contrahentes judicii defectu etiamnum laborent. Hoc enim caſu & curatoris auctoritate opus erit. *add. ſupr. dict.* §. 2. Circa divinum forenſe vero obſervare licet ex *Tob. VII. v. 19. ſecundum verſionem Caſtalionis*, quod Raguel obſignaverit codicillos matrimonii gratia confectos adhibitis teſtibus. (5) Denique Juri Naturali Politico, atque Rationi ſtatus noſtræ Reipubl. quod ſtatutum omnino conſentiat ex dictis §. 11. oppido manifeſtum erit. Dum enim cognatorum requirit conſenſum, proſpicit, ne facile per pactiones dotales bona civium extra familiam eorum, aut adeo Civitatem ipſam ad exteros perveniant.

Membr. II.

Varias Quæſtiones occaſione ſtatuti ſuborientes, ventilans.

§. I.

Probatur: Statuta admittere etiam interpretationem extenſivam.

DUm animus eſt varias controverſias examinare, & pleraſque earum vel extendendo, vel reſtringendo ſtatutum decidere, remoram mihi aliquam injici a magno Ddorum numero prævideo: Interpretationem extenſivam a Statutis exulare docentium. Hanc ergo quæſtionem præjudicialem in limine hujus membri diſcutere utile æque, ac neceſſarium erit. Ne tamen hic ſim juſto prolixior, brevibus moneo, me quæſtionem hanc, an Statuta queant extendi, affirmandam cenſere, 1. ob naturam Statutorum, quæ nempe nihil aliud ſunt, quam Leges particulares a Statibus Imperii Juris communis ſupplendi emendandive gratia, regendæ ipſorum Reip. conditæ. Leges enim Status Imperii in territoriis ſuis rogare poſſe notum eſt, *vid. Gail. Tract. de Arreſt. cap. 9. num. 1. Knipſchild. de Civitat. Imper. l. 2. cap. 10. n. 5. Illuſtris Dn. Stryke in ſpecim. Uſumoderni ff. de LLbus §. 5. & ſeqq.* Unde fluit, quod Statuta in ſtatuentium territoriis etiam Legum Na-

turam obtineant, adeoque (1) quod ferantur propter utilitatem territorii publicam & quidem ſpeciatim vel Juris communis, ob inſufficientiam ſuam ſupplendi, vel ob rationem qua naturalem, qua ſpecialem Politicam Rationem Status Reip. alicujus, emendandi gratia. (2) Ex iisdem cauſis rogantur, ex quibus Leges Univerſales. (3) Eandem perfectionem habent, & eisdem quoq; defectibus obnoxiæ ſunt, quibus Leges Imperii Univerſales, qua evitabilibus, qua inevitabilibus, adeoque tam contingentia ut plurimum, cui reſtrictiva, quam inſufficientia, cui extenſiva medetur Interpretatio, laborant. *Tum* 2. ni concederetur extenſio ſtatutorum æque ac aliorum Jurium ex ſuis cauſis, pleraque futura eſſent ſuperflua ac fruſtranea, quod tamen de ipſis præſumi nec poteſt, nec debet: tum 3. quod ſæpe, imo plerumque ſtatuta condantur, quoties Jus commune vel Juri naturali vel divino morali contrariatur: Jam ergo ſi ſtatuta extendi poſſe negentur, ſed jus commune naturali & divino contrarium præferendum ei aſſeratur, an non contra reverentiam Juri divino & naturæ a Chriſtianis debitam id foret? At e contrario qui Statutorum extenſionem reprobant, & ad Jus commune redeundum eſſe volunt, quoties ſtatuta de caſu aliquo nihil expreſſe & claris verbis diſponunt, urgent primum *l. 14. l. 15. l. 16. ff. de Legibus cap. quæ a jure 28. de reg. Jur. in 6to. vid. Hahn. ad Weſenbec. paratitl. ff. de LLbus n. 8.* in quibus LLbus ex ipſorum ſententia dicitur, quod contra rationem juris recepta non ſint trahenda ad conſequentiam. Sed reſpondere pace ipſorum liceat, verba *in d. l. 14. contra rationem Juris* vel intelligenda eſſe de Jure Naturali, aut divino Morali, aut ratione Politica, & concedi poteſt ipſis eorum ſententia quod ad hunc caſum: vel intelligentur de jure communi, quæ videtur ipſorum eſſe mens. Sed hoc caſu idem non ex Legibus illis evincitur, potius contrarium inde demonſtratur. Nam quod dicitur contra rationem *d. l. 14. & d. cap. 28.* juris recepta non eſſe trahenda ad conſequentiam, id capiendum (1) vel hoc ſenſu, quod ſcil. ea, quæ contra rationem juris, ſubintellige in loco illo, in quo ſolum jus commune viget, nec ſingulare jus aliquod introductum, recepta ſunt, non ſint extendenda. Quæ ſententia ex Legibus proximis (ſiquidem Legem aliam ex alia declarari fas eſt) declaratur. Quippe *ex l. 16. junct. l. 11. l. 12. l. 13. ff. de LLbus* pateſcit quod quoties jus ſingulare contra tenorem rationis propter utilitatem auctoritate conſtituentium introductum eſt, & ſententia ejus manifeſta eſt, bona occaſio ſit ad

ad ſimilia procedere, & cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certe jurisdictione ſuppleri. Neque JCtus in his Legibus diſtinguit, utrum Lex univerſalis an particularis rogata ſit, ſed indefinite adeoque de omni lege loquitur. Ac notanter omnino *l. 15. ff. eod.* In his quæ contra rationem juris ſcil. communis, ut ipſi adverſarii explicant, recepta ſunt, non poſſumus ſequi regulam juris ſcil. communis. Aliud ergo ſequendum erit, quod quidem nihil eſſe poteſt, quam Lex particularis contra rationem juris communis rogata. Et ſane ipſæ Conſtitutiones Imperatorum jus civile vetus emendantes ſæpe contra rationem juris antiqui erant, & nihilominus de illis Impp. reſcribunt, quod ea, quæ in certis negotiis ſtatuta ſunt, ſimilium quoque cauſarum fata componant. *l. 3. C. de LLbus.*

(2) Vel de receptis per conſuetudinem irrationalem, & non extendi largior. *per l. 39. ff. de LLbus l. 1. C. quæ ſit longa conſuetudo.*

Dein tradunt adverſariæ ſententiæ Patroni ſtatuta eſſe ſtricti juris & in terminis proprie loquentibus accipienda & contra jus commune introducta ad alios caſus de quibus diſertis verbis & certa demonſtratione non loquuntur, non extendenda, ſed quod ſtatuta non dicunt, id nec nos dicere, ſive per ſubauditos ac tacitos intellectus ſupplere oportere. *vid. præter citatos Excell. Dn. Placc. Sect. IV. num.* 40. *Syntagmatis Regularum interpretandi falſarum, adjecto JCto perfecto Gail. 2. obſ. 33. & obſ. 80. num. 1. obſ. 140. n. 13. & l. 1. obſ. 50. num. 8. Carpzov. de Proceſſ. tit. 19. art. 3. n. 17. Jurispr. for. p. 2. c. 14. d. 52. n. 6. conſt. 31. d. 16. num. 2. & def. 17. num. 3. & conſt. 53. d. 10. & part. 3. conſt. 20. d. 10. num. 7. d. 11. num. 7. Oldendorp. claſſ. action. præfat. in princ. Habn. l. ſupr. cit. aliique.* Qui ad ſtabiliendam ſuam ſententiam allegant.

(1) Leges & quidem *l. 1. §. 19 ff. de Exercitor. act. l. 71. §. 5 ff. de acquir. hered. l. 12. ff. qui & a quib. manum. l. 25. ff. ad municipad.* ſed ex his Legibus nihil eorum probatur, imo ne verbum quidem de hoc caſu in illis habetur. Potius mentem Legislatoris attendendam, nec ſtricte verbis inhærendum eſſe colligitur *ex l. 12. §. 6. ff. qui & a quib. manum.* Provocant porro *ad l. 64. § 9. ff. ſolut. matrim.* Sed in hac Lege primo ſpecialis eſt caſus, dein legem hanc non extendi oritur inde, quod contra voluntatem LLatoris extenderetur, ut patet ex verbis: Hoc ab eo quaſi omiſſum adnotat: ſcil. ſponte omiſſum. Alioqui enim ſpeciali adnotatione non fuiſſet opus. Contra voluntatem LLatoris vero extenſio nulla fieri debet, ne nova Lex fiat.

Quin nec citata ipſis *L. 21. ff. de teſtam. militis* probanda probat, cum a privilegio ad generalem Legem argumentari non liceat. *arg. §. 6. I. de I. & N. C.* Denique nec *ex l. 9. ff. de I. & I.* ſententia ipſorum eruitur: Potius inde *junct. §. 1. & 2. I. de I. N. G. & C.* contrarium pariter deducitur. Ita n. ibi. Quod quisque populus ſibi jus conſtituit (hoc vero revera jus ſtatutarium) id eſſe jus ipſius civitatis. Adeoque cum ſtatuta juris nomine veniant, cur non & Juris natura gaudebunt, adeoque cur non pariter ac jus civile extendi poſſent? Præcipue ſi perpendatur Jus Civile in territoriis ſtatuta condentium non niſi ex ipſorum voluntate valere, ac proin quando ſtatus Imperii ſtatuta condunt, Juri civili contraria, nolunt Jus Civile amplius in illo & ſimilibus caſibus *arg. l. 11. l. 12. ff. de LLbus* vigere, unde ni ejus ſtatuti extenſio ad ſimilia permitteretur, eo ipſo Lex iſta particularis contra latoris Voluntatem reſtringeretur, quod non admittendum *per dicta Excellentiſſ. Domini Placcii, JCti perfect. cap. 2. §. 4. reg. 14.*

(2) Ddrum multorum numerum cumulant, quos quidem inſpiciendi copia mihi data non eſt. Interim cum veroſimile ſit potiores rationes ex hiſce illos jam excerpſiſſe, nec Ddorum numerus, ſed rationes LLum auctoritate nitentes jus faciant *arg. l. 12. ff. de offic. præſid.* diutius huic quæſtioni immorandum non cenſeo, ſed firmum manebit, ſtatuta a ſtatibus Imperii condita ex cauſa ſuis & genuinis principiis recte extendi, vel ideo potiſſimum, ne quæ contra jus commune ex ratione vel naturali vel Politica & ratione ſtatus Reipubl. alicujus, ſalubriter pro utilitate ſubditorum & Reip. auctoritate imperantium introducuntur, ea duriore interpretatione & ad jus commune redeundo contra ipſorum commodum producantur ad ſeveritatem, quod nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur *l. 25. ff. de LLbus.*

§. II.

An cognato in pacta dotalia conſentiente, ante conjugem mortuo, cognatus antea remotior pacta dotalia poſſit impugnare?

QUibus omnibus ita ſe habentibus inoffenſo pede ulterius progredi licet. Ne vero plane ἀμεθόδως procedam, lubet primo loco quædam ratione perſonarum paciſcentium, & quorum conſenſu opus notanda, diſpicere. Quæritur ergo

An ſi cognatus proximus in conventiones dotales conſenſerit,

&

& moriatur, antequam alter conjugum deceſſerit, hi qui in demortui cognati locum ſucceſſerint, dein pactiones dotales impugnare queant, adeoque an huc extendi debeat *Stat. H. P. 3. tit. 1. art. 10.* Cum pacta ſint ſtricti juris, nec aliis, qui non pepigerunt, noceant aut proſint *l. 24. C. de pact. l. 3. §. 2. ff. de transaction.* nec ullus alteri præjudicium afferre queat *l. 74. ff. de R. J.* videri poſſet, conſanguineo defuncto qui in pacta dot. conſenſerat, heredem ejus non teneri conſenſum a defuncto præſtitum ratihabere, ſed pactiones dot. impugnare poſſe, præcipue cum hic & *in d. art. 10.* eadem prorſus videatur militare ratio. Cæterum tantum abeſt, hoc ut cenſeam, potius hæredem facto defuncti obligari exiſtimo. Quippe notiſſimi juris eſt, heredem facto defuncti contravenire non poſſe, & illud impugnare *l. 12. C. de R. V. l. 7. C. de negot. geſt. l. 24. C. de donat. l. 10. C. de ſolut.* & pacto conſanguinei conjugibus jus quæſitum eſſe, quod ipſis invitis auferri nequit *l. ult. ff. de pact.* Adeoque ita erit interpretandum ſtatutum, ne ipſi indebite damnum patiantur. *Gail. 2. O. 33. num. 6.* Præterea cum plerumque Matrimonium ipſum ſub conditionibus in tabula dotali comprehenſis ineatur, omnino favore Matrimonii *cap. 39. x. de appellat. c. fin. x. de condit. appoſit.* pro valore pactorum dot. erit pronunciandum. Neque obſtant ſuperius allata. Quod enim dicitur pacta aliis non nocere, nec ullum alteri præjudicare poſſe, id intelligendum de extraneis, non de defuncto ejusq; herede, ceu qui una eademque perſona reputantur. *Nov. 48. cap. 1.* Heresque ſuccedit tantum in locum & jus quod defunctus habuit *l. 59. l. 62. ff. de R. J.* & heredi nemo plus commodi relinquit, quam ipſe habuit. Adeoque cum defuncto non amplius integrum fuit pactiones dot. in quos ſemel conſenſit, impugnare, nec heredi ejus id licebit. Nec quæ videtur rationis identitas ſubeſſe, quicquam me movet. Nam in teſtamento de bonis hereditariis facto conſanguineus proximus pro ſua tantum perſona ob ſpecialiſſimam Legis diſpoſitionem *d. art. 10.* conſentire poteſt, nec heredi ſuo præjudicare. Quæ lex contra communem juris rationem recepta non erit producenda ad conſequentiam *l. 14. ff. de LLbus add. l. 80. ff. de R. J.* adeoque nec ad pacta dotalia extendenda, in quæ conſanguineus proximus conſenſit zur Verpflichtung, quæ vox ſimpliciter hic addita, generaliter de regulari obligationis natura, qua non tantum paciſcens, ſed & ejus heres ceu una cum ipſo perſona tenentur, erit

ca-

capienda. Quamvis id lubens largiar, conſultum eſſe paciſcentibus præter proximos etiam remotiores cognatos adhibere, præcipue ſi illi decrepitæ ætatis ac valetudinarii ſint, ita ut cito morituri præſumantur. Tunc enim ſi & remotiores conſenſerint, litigiorum certe evitabitur occaſio.

§. III.

An quæ de conſenſu cognatorum in ſtatuto dicuntur etiam locum habeant in adoptivis, ut hi conſentire teneantur?

AN dicta de conſenſu cognatorum requirendo & in adoptione obtinent, ita ut conſenſu adoptati opus ſit, ſi adoptans pacta dotalia ineat, vel vice verſa? Quæſtionem hanc ſuperfluam judicabunt, quotquot adoptionem abrogatam cenſent. Sed licet concedam cum *Lauterbach. compend. Juris ff. de adopt. I. n.* rarum ejusdem eſſe uſum, attamen jure patrio eandem approbari patet *ex Stat. Hamb. p. 3. tit. 1. art. fin. ibi verba:* ſo er andere Kinder für ſeine Eheliche annimt. Ipſaque Experientia loquitur, adoptionem non plane ab uſu omni receſſiſſe. Unde & hoc loco commode ventilabitur: Interim ipſam quæſtionem quod attinet, *Gail. 2. obſ. 136. num. 14. & ſeqq.* quidem cenſet adoptivum appellatione liberorum non venire, quoties adoptione diſpoſitio Legis, ſtatuti, vel hominis fieret eluſoria, & generaliter, ait, ſciri oportet appellatione filiorum non venire adoptivum, niſi in caſibus in jure nuncupatim expreſſis. *gloſſ. in l. 51. § fin. verb. conſequi ff. de legatis 2. &c.* Item in privilegiis & ſtatutis appellatione liberorum non comprehenduntur filii adoptivi, quia verba proprie & ſtricte in illis intelligenda, proprie vero appellatione liberorum non veniunt adoptivi. *l. 220. ff. de V. S.* Hinc adoptivi non comprehenduntur ſub ſtatuto fœminas excludente, nec in materia *l. 8. C. de revoc. donat. vid. lat. Gail. c. l. add. Pekium de Teſtam. Conjug. lib. 5. cap. 7. num. 1. 2.* Unde colligendum videtur, ſtatuto conſenſum liberorum ſive conſanguineorum requirente adoptivos non contineri. Verum ſi perpendatur ſurrogatum ſapere naturam ſurrogati & adoptionem imitari naturam *§. 4. I. de adoption.* adoptivosque æque habere ſpem ſucceſſionis in bona defuncti ac liberos legitime natos *l. pen. C. de adoption.* & agnitione rumpere teſtamentum Patris adoptivi ante conditum *d. art. fin. St. H.* non videtur parens adoptivus pacta dotalia ſine adoptivorum liberorum conſenſu in horum præjudicium

facere

facere poſſe *add. Peckium c. l. num. 3.* qui hoc loco etiam reſpondet rationibus a *Gailio* allatis. Cœterum ſi rem ipſam accuratius conſiderem, & cum ſtatuti ratione conferam, nec hæc ſententia adeo generaliter prolata arridet. Etenim cum conſenſus cognatorum requiratur conſervationis familiarum ergo, & ne bona extra familiam alienando præjudicium fiat cognatis, merito proſpiciendum, ne per adoptionem quid contra voluntatem Llatoris fiat. Indiſtincte enim Hamburgi adoptiones permitti, ita ut filius adoptivus Patri adoptivo tam in bonis hereditariis, in præjudicium cognatorum, quam quæſitis ſuccedat, vix crediderim. Quare in præſenti quæſtione *cum Peckio de teſtam. conj. l. 3. cap. 30.* diſtinguendum cenſerem, utrum adoptio (loquor autem de arrogatione & adoptione ſpecifica imperfecta: In perfecta enim filius adoptivus ipſe inter conſanguineos proximos numerabitur) facta ſit, extantibus cognatis aliis, vel minus. Hoc caſu cum nemini præjudicium fieri queat, & veroſimile ſit adoptionem eſſe factam conſervandæ familiæ ergo, merito filiorum adoptivorum conſenſus in pactis dot. a parente ineundis erit exigendus, obtinebitque hic illud tritum: Statutum loquens in caſu vero, locum ſibi vindicare in caſu ficto. *Cævall. Spec. opin. comm. qv. 2. num. 21.* Illo autem caſu ne contra ſtatutum cognati lædi queant, conſenſuque ipſorum non requiſito, familiarum conſervatio everti, ipſorum conſenſus omnino erit requirendus. Utrum vero hoc caſu inſuper etiam adoptivorum conſenſu opus ſit, ulterius inquirendum erit, & diſtinguendum opinor, inter arrogatum & ſpecifice adoptatum. Hunc conſentire non neceſſarium exiſtimo, eo quod hic a ſucceſſione Patris adoptivi tam emancipatione, quam teſtamento ejusdem excludi poſſit *l. penult. §. 1. & 2. C. de adopt.* adeoque nullum jus in bona parentis habeat. Circa arrogatum ſecus ſe rem habere arbitror. Cum enim hic bona ſua in arrogatoris familiam transferat, fit ſuus heres, & non æque facile, ac non niſi ex juſta cauſa a ſucceſſione Patris excludi queat *d. l. penult. §. fin. & §. 3. I. de adopt.* nec per pacta dotalia conſenſu ipſius non adhibito inita ipſi præjudicabitur, ob ſpecialem Juris civilis rationem. Atque hæc obtinere exiſtimo patre adoptivo pacta dotalia conficiente. Nunc ulterius excutiendum brevibus reſtat, quid juris competat patri, filio adoptivo pactiones nuptiales contrahente? Hic vero generatim prius monendum pariter,

adoptionem factam cognatis adoptivi fraudi eſſe non debere *l. 9. C. de SS. Eccl.* dein ſecernendi ſunt arrogati & adoptati perfecte, ab adoptatis imperfecte. Hi cum non ſint in poteſtate Patris, nec bonorum ſuorum quicquam ad eum transferant §. *2. J. de adoption.* adeoque nec Pater quicquam Juris in ipſos habeat, nec ipſis ab inteſtato ſuccedat *Struv. S. I. C. Exerc. 38. th. 31.* libere, etiam non interveniente auctoritate patris, paciſcentur. Arrogati autem & perfecte adoptati cum ſint in familia & poteſtate patris adoptivi, qui ipſis etiam ab inteſtato ſuccedit §. *2. I. de acquiſit. per arrogat. Struv. c. l.* & nullo pene modo cogi poteſt eos de poteſtate ſua dimittere *§. 10. I. de quib. mod. jus patr. pot. ſolvitur* conſenſum Patris hujus exigere tenebuntur.

§. IV.

An ad pacta dotalia conſenſus liberorum prioris matrimonii requiratur.

De liberis adoptivis dictum, quorum occaſione circa liberos legitimos quid obtineat, conſiderari nunc merebitur: Videlicet utrum parente (voce hac generatim accepta, ut patrem æque ac matrem comprehendat *ſec. l. 51. ff. de V. S.*) ad repetiti Matrimonii vota migrante conſenſus liberorum prioris conjugii requiratur, præprimis ſi ipſi jam ante portionem ſuam tam ex paterna quam materna ſubſtantia *ſecund. St. H. P. 3. tit. 3. art. 4. ibi*: zu gänzlicher Abtheilung Väterlicher und Mütterlicher Güter acceperint? Videri quidem poſſet, liberis nihil amplius juris ſupereſſe in parentis ſui facultates, quam primum portionem ſuam ſecundum præſcriptum in ſtatutis modum acceperint. Verba enim zu gänzlicher Abtheilung omnem ſucceſſionis ulterioris ſpem præſcindere videntur, & pater quod ad liberos diviſione hac a ſe ſeparatos pro mortuo habetur, & liberi circa bona & ſucceſſionem pro iis, qui emancipati ſunt, aut alias ex poteſtate Patris exierunt, imo pro exhæredatis, pro extraneis & diſſortibus, ſeu qui a paterna maternaque domo & familia excluſi ſunt. *Vid. latius hac de re Mev. ad Jus Lubec. Part. 1. tit. 2. art. 2. num. 111. & ſeqq. & art. 33. n. 115. & ſeqq.* qui *art. 2. num. 112.* hæc extendit etiam ad eum caſum, quando pater poſt diviſionem ad opimiorem forte fortunam pervenit, & amplas facultates acquirit, quarum reſpectu id, quod diverſi liberi præceperint, pro

minimo

minimo habeatur, nec legitimam contineat. Nam portio ſtatutaria, quam liberi vivo patre per diviſionem ceperunt, legitimæ loco habetur *vid. Mev. c. l.* Cæterum non obſtantibus his cenſeo ob ſtatuti rationem conſenſum liberorum per diviſionem a Parente ſeparatorum, in pactis dotalibus a parente binubo initis eſſe requirendum, tum quod, licet non ut liberi in reliqua parentis bona, tamen ut proximi cognati ſpem ulterioris ſucceſſionis habeant ſecundo matrimonio ſine prole finito *Mevius c. l. art. 2. n. 137. & ſeq. add. art. 33. n. 134. & ſeqq.* tum ut animadvertere poſſint, ne contra *L. Hac Edictali. 6. C. de ſecundis Nupt.* novercæ vel vitrico ullo titulo in ipſorum totiusque familiæ præjudicium plus conferatur quam filius vel filia habet, cui minor portio tali diviſione derelicta vel data fuerit. Sed quid ſi liberi impuberes vel minorennes ſint? Equidem *Peckius de teſt. conj. l. 3. c. 29.* cenſet pupillorum & minorum conſenſum non eſſe requirendum, neque eos autoritate tutoris vel curatoris interveniente conſentire poſſe, ſed parum illa me movent. Cum enim ſtatutum noſtrum in ipſorum utilitatem receptum ſit, ob ætatis defectum, non erit idem detorquendum ad ipſorum damnum & incommodum *l. 25. ff. de LLbus.* Et favor conſervationis familiarum exigit, ut quod ipſi liberi ob minorennitatem ipſi expedire nequeunt, id prudentiæ tutorum vel conſanguineorum ſuppleatur *arg. pr. I. de Curatoribus. vid.* quæ habet de præſentia tutorum vel Conſanguineorum in diviſione facienda, *Mevius c. l. art. 33. n. 87.* Cœteroquin ſi aliqui ex liberis tantum adhibeantur, aut alias etiam ſaltem cognatorum quidam, non vero omnes in proximiore gradu poſiti, id reliquis præjudicio eſſe nequit, nec quantum ad illos Pacta erunt valida. Cum quoties de intereſſe aliquorum agitur, omnes, qui lædi queunt, contradicere poſſint, & hinc ne lædantur, adhibendi veniant. *arg. l. 39. ff. de adoption. l. 29. & fin. ff. de minor. l. 47. pr. ff. de re judic.*

§. V.

Cognatorum dotantis an dotatæ conſenſus utrum requiratur, ſi extraneus mulieri dotem conſtituat?

QVorum conſenſus requiretur, ſi extraneus i. e. qui non ſit cognatus, mulieri dotem conſtituat? An cognatorum dotantis vel dotatæ? Facilis erit Reſponſio, ſi perpendatur, dote ab extraneo conſtituta, nullum fieri cognatis dotatæ mulieris præjudicium, ne

 ipſos

ipſos ullum jus in dotantis bona quæſitum habere. Ut proin ipſorum conſenſus in pactis ſuper dote ab extraneo mulieri conſtituta, diſponentibus negligi poſſe omnino videatur, cum non quidem deterior ipſorum conditio ipſis inſciis, attamen melior fieri queat *arg. pr. I. de auctoritat. tut.* Dotantis vero cognatis cum præjudicari queat dote extraneæ mulieri conſtituta, hinc ipſi omnino ad pacta hæc adhibenda, ne illis lædantur *arg. l. 39 ff. de adoption.*

§. VI.

Si Civis forenſem ducat, an utriusque partis Cognatorum conſenſus requiratur?

AN ſi Civis fœminam forenſem, vel viciſſim, ducat, teneantur ab utraque parte cognatorum conſenſum requirere? Licet quidem videatur, Legem nullos niſi ſubditos Latoris ligare, & forenſem ignorantia Statuti ſeſe excuſare poſſe *Gail. 2. obſ. 48. n. 28.* præcipue cum hoc ad alios illic locorum degentes, ubi jus commune ſervatur, extendi nequeat: attamen cum circa contractuum ſolennitates & ſubſtantialia non tam attendatur, quinam contrahant, ſed quo in loco contrahatur, eo quod conſuetudo & ſtatutum loci, ubi actus celebratur, apprime obſervari debet *l. 6 ff. de Evict. l. 34. ff. de R. J. l. 1. C. de emancip. liber. l. 9. C. de teſtam. Carpzov. Jurisprud. for. P. 2. conſt. 15. d. 6. num 8.* hinc in propoſita quæſtione præcipue reſpiciendum erit ad locum contractarum pactionum nuptialium. Qui ſi Hamburgum fuerit, non dubium eſt, quin tam cives quam forenſes teneantur ſtatutariæ Legi obſequi & conſenſum cognatorum utrinque requirere. Nam eo caſu, quo ſtatutum diſponit circa ſolennitatem actus, inſpiciendum eſt etiam quoad forenſes, an ſit ſervata ſolennitas requiſita a ſtatuto illius loci, in quo actus eſt celebratus, *per text. ſupr. cit. vid. late Gail. 2. O. 123. num. 3. & ſeqq. & Peckium de teſtam. conj. lib. 4. cap. 30.* Nec obſtat, quod *Mevius ad Jus Lubec. Part. 2. tit. 2. art. 12. n. 397. & ſeqq.* cenſet, reſpiciendum eſſe jus loci, in quo maritus habitavit, eumque in finem urget *l. 65. ff. de judiciis.* Nam meo judicio Lex hæc potiſſimum determinat, quo in loco dos ſit repetenda, neutiquam vero, quæ jura ſervari debeant in conficiendis rite pactionibus dotalibus. *Vid. Illuſtr. Dominum Stryke de cautel. contract. ſect. 3. cap. 8. §. 15.*

Præce-

Præcedens quæſtio me perduxit ad conſiderationem locorum, in quibus pacta dot. inita, qua occaſione ulterius quæro: An conſenſu cognatorum opus conventione dotali extra territorium & Idictionem Hamburgenſem inita ab illis, qui vel domicilium jam Hamburgi habent, vel demum contracto matrimonio illud ibidem ſunt fundaturi? Quos poſteriores ſtatutis Hamburgenſibus non obligari dubio procul eſt, ſed ſufficiet, ſi conſuetudinem & jura illius loci, in quo pacta condunt, obſervent *per text. ſupr. alleg.* niſi aut bona ipſorum jam in Hamburgenſi territorio ſita fuerint *Cavall. Spec. opin. comm. qu. 724.* aut ipſi ratione originis forum ibidem ſortiantur. *vid. Peckium l. c. cap. 28. & 36.* At vero ſi illi, qui Hamburgi jam domicilium fixerunt, extra civitatem in alieno territorio pacta ineant, ſecundum Jus Commune & conſuetudinem illius loci, videri poſſet *per text. ſupr. cit.* pacta valida eſſe futura. Verum cum hac ratione quam maxime ratio ſtatuti everti queat, & verendum ſit, ſalvis verbis Legis ſententiam ejus circumveniri *l. 29. ff. de LLbus.* Statutumque inſuper civem extra territorium obliget, *late Bartolus ad l. cunctos populos num. 32. C. de Summ. trinit.* hinc ſolennitates a ſtatuto præſcriptæ omnino adhibendæ venient, præprimis ſi conjectura exurgat, eludendi ſtatuti ergo in extero territorio pacta eſſe confecta. *vid. Peckium l. c. cap. 29.* Hoc enim caſu merito invalida atque nulla declarabuntur, cum dolus nemini debeat patrocinari *l. 12. de dolo malo l. 3 ff. de transact. l. 69. ff. de R. V. &c.* nec quisquam fraudis ſuæ præmium conſequi *l. 31. ff. de arbitris,* ſiquidem deceptis, non decipientibus jura ſubveniunt *arg. l. 43. §. 1. ff. de adminiſtr. tut.* Imo & abſque hac fraudis ſuſpicione civem ſtatuto Civitatis ſuæ legare, nec contra illud de rebus in territorio ſtatuentium ſitis diſponere poſſe cenſet *Peck l. c.* Quam ſententiam maxime confirmat, Facti ſpecies quædam ante annos aliquot Hamburgi & Spiræ ventilata de Teſtamento & Pactis dot. a Sponſo Cive Hamburgenſi & cujus bona Hamburgi ſita, Spiræ ubi domicilium erat fixurus, contra ſtatuta patria & præcipue ſuper bonis hereditariis, factis. Quo ſponſo mortuo ante conſummatas nuptias, contradicebant heredes illic agentes, & ſponſa ſubornato ſollicitatore vaferrimo, cum Camera, quis Juris Statutarii noſtri hac in parte uſus eſſet, quæſiviſſet, obtinebat, ut reſponderetur: Nullum Hamburgi in contradictorio talem caſum fuiſſe, adeoque rem religioni judicum ſuperiorum totam committendam. Qui contra Statuta

cum judicaſſent, vidua quædam in Executione demum reſciſcens eam rem, cognata & heres defuncti per curatorem ſuum ſummum aliquem JCtum interveniebat, novoque Proceſſu inſtituto ad tranſactionem tandem rem, reducebat omnem. Ad quam certe res non deveniſſet, ſi quidem ſententia ante inter ſponſam & coheredes lata ſtabili aliquo innixa fuiſſet æquitatis fundamento.

§. VII.

Cognatis non conſentientibus aut abſentibus an pacta nulla ſint?

AN Pacta nulla ſint, ſi vel in totum vel pro parte cognati in ea nolint conſentire, vel ob abſentiam illorum conſenſus requiri nequeat? Superius Sect. II. ſatis perſpicue oſtenſum exiſtimo, conſenſum cognatorum eſſe de neceſſitate, ſubſtantia atque forma pactorum dotalium. Quæ ni ſervetur, ipſe actus nullus eſt *per text. not. in l. 44. §. 1. l. 55. ff. de condit. & demonſtr. l. 1. & 2. C. quando provocar. non eſt nec.* Unde & videri poſſet cognatis non conſentientibus, ſive ob defectum voluntatis, ſive facultatis, pactiones dot. plane nullas eſſe, præcipue cum ubicunque requiritur alicujus conſenſus, non ſufficiat eum petere, niſi impetretur *gloſſ. in cap quam ſit de elect. in 6to.* & paria ſint, non petere & petere nec impetrare *l. 2. C. de in jus voc. Clement. un. de teſtam. & ultim. vol.* Cæterum quandoquidem in omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo per alium moræ fit, quo minus fiat *l. 39. ff. de R. J.* & in propoſito caſu penes cognatos paciſcentium ſtet conſummatio pactorum, nulla culpa paciſcentibus quaſi non obſervaſſent Statuti præſcriptum, imputabitur. Idque eo magis ſi vel ex nulla juſta & idonea cauſa cognati conſenſum denegent, ademturi ſaltem paciſcendi libertatem, vel abſentes brevi temporis ſpatio reverſuri non credantur. Quamvis lubens fatear, conſultius atque tutius eſſe, ſi paciſcentes Magiſtratum adeant, apud eum ſupplicent, ut prævia cauſæ cognitione totam rem ex æquitate moderet, cognatos conſenſum denegantes juſtis remediis compellat, aut ipſe auctoritate ſua pactiones æquas nec magnum præjudicium cognatis afferentes confirmet. *vid. Peckium de Teſtam. conj. l. 3. cap. 2. num. 3. & cap. 4. num. 3.* ubi etiam *num. 4.* de abſente dicta ad furioſum & dementem extendit. *add. ibid. citatos.*

§. VIII.

Conſenſu Cognatorum an tempore peſtis aut in Pactis dotalibus militum opus?

AN in pactis dot. militum aut peſtis tempore factis conſenſu cognatorum opus? In favorem militum a Legumlatoribus antiquis multa ſpecialiter eſſe conſtituta, certiſſimi juris eſt. Ita enim jure Civili ſolis militibus pacta de ſuccedendo facere licuit. *l. licet. 19. C. de pactis. vid. Mev. ad Jus Lubec. P. 2. tit. 1. rubr. n. 36.* Et quæ privilegia militaria teſtamenta præ reliquis meruerint *ex titulis I. ff. & C. de teſtamento militis*, notiſſimum eſt. Unde videri quoque omnino poſſet, nec milites noſtros ſeu officiales, ſeu gregarios teneri in pactis ſuis dotalibus ſolennitatem & formam a Statuto præſcriptam obſervare. Cæterum ſi cogitem, diſparem valde eſſe rationem teſtamenti, & pacti dotalis vel in eo, quod illud ſæpe in ſubitaneis periculis, & ubi temporis anguſtia non permittit peritiores conſuli, *vid. Habn. ad Weſenbec. Paratitl. ff. de teſtamento militis num. 2. not. 4.* hoc non niſi ex deliberato & præmeditato conſilio fiat, aliud omnino dicendum erit. Præprimis cum ex Jure Romano & hoc notare liceat, privilegia militantibus a principalibus conſtitutionibus hactenus concedi, quatenus militant, & in caſtris degunt, neutiquam vero extendi poſt miſſionem, aut ſi citra expeditionum neceſſitatem in aliis locis extra caſtra, adeoque in præſidiis, hibernis, vel ſtationibus etiam limitaneis vitam agant. *pr. & §. 3. I. de militari teſtam. ad Ord. Not. A. 1518. tit.* **von Teſtamenten. §. und ſollen die** *Notarien 2. ib. verb.* **und nicht zu Felde liegen.** Quare vel hoc intuitu privilegia militibus data, ad noſtros præſidiarios non extendentur, ſed paciſci ipſos jure ſtatutario oportebit, eadem obſervatione & ipſorum pactis adhibenda, quam in paganorum hactenus expoſui. Peſtis autem tempore, præcipue ſi vis peſtilentiæ magna ſit & tabes per totum locum diffuſa, pacta conſummari etiam abſque conſanguineorum auctoritate poſſe omnino *cum Peckio de teſtam. conjug. l. 4. cap. 18.* exiſtimo, *tum argumento Stat. H. P. 3. tit. 1. art. 2.* tum, ne quod pro conſervatione bonorum in familiis introductum, ad familiarum iſtarum interitum producatur *contr. l. 25. ff. de LLbus.* Interim requirendos tamen ipſos eſſe, modo nondum ſint tabe ipſa infecti, patet ex *l. 8. inf. C. de teſtament.* Quod ſi tamen pacta tunc temporis facta admodum iniqua ſint & gravantia, quin

dein

dein auctoritate Magiſtratus reſcindi poſſint & ad æquitatem reduci, æque ac teſtamentum peſtis tempore conditum infirmari, ſi inofficioſum ſit, aut liberos in legitima lædat, nullus dubito *arg. d. l. C. de teſtam.* Cæterum num rumpentur pacta peſtis tempore facta periculo ceſſante, quærendum reſtat? Non cenſeo tum ob dicta *Peckio l. c. cap. 16.* tum quod ſemel per pacta inita conjugibus jus quæſitum ipſis invitis auferri nequeat.

§. IX.

An ad Pacta Dot. judicialia requiratur Conſ. Cognatorum & quando inſinuari debeant.

AN ad pacta dot. judicialiter inſinuata requiratur etiam conſenſus cognatorum, & quando inſinuari debeant? De Teſtamentis certum eſt, principi oblata, vel judicialiter eadem inſinuata omnium ſolennitatem ſuperari videri *l. 19. C. de teſtament.* nec ulla ullius teſtis præſentia opus eſſe *d. l. 19.* Quod ipſum ſæpe *citatus Peckius de teſtam. conjug. libr. 3. c. 24.* extendit etiam ad eum caſum, quo ſtatutum requirit conſenſum mariti in teſtamento uxoris, ita ut teſtamento actis inſinuato, conſenſu mariti nequaquam opus ſit, eo quod ſolius judicis præſentia ad actum confirmandum ſufficiat. Unde videri prima facie poſſet, idem quoque circa pacta dot. obtinere poſſe. *per l. 31. C. de donat.* Sed penitius quæſtionem rimans diverſum reſpondendum opinor. Etenim in teſtamentis teſtes tantum adhibentur eum in finem, ut eo melius certiusque de actus veritate conſtet. Quod ſi aliunde fiat, ex actis videlicet judicialibus, teſtimonio ulteriori opus non eſt, adeoque ceſſante cauſa, ceſſat Lex *l. 11. ff. de in jus vocando l. 32. ff. de pactis l. c. §. 6. ff. de ædil. edict.* At in pactis dotalibus conſenſus cognatorum exigitur, non tam teſtimonii gratia, quam obligationis inde orituræ etiam quoad cognatos conſentientes, ut *patet ex verbis* zur Verpflichtung. Illius defectum acta judicialia ſupplere queunt, non hujus. Nec enim acta judicialia ſive inſinuationem, præjudicium cognatis quorum conſenſus requiritur, afferre poſſe, ullibi conſtitutum. Nec quicquam huc facit ex *Peckio* allatum: Illud enim ſtatutum introductum in utilitatem uxoris teſtantis, ne lubrico & imbecilli ſexus conſilio decipiatur. *Peckius l. c. cap. 1. num. 5. & cap. 2. num. 2.* Noſtra vero Lex in commodum & favorem cognatorum rogata, *ut ſupr. dictum.* Præterea monet ipſe *Peckius l. c. cap. 24. num. 2.*

num. 2. in f. & n. 3. nec teſtamentum uxoris coram Principe vel actis conditum valere, ſi propinqui legitimam contradicendi cauſam habeant, ac ſub- & obreptionem, lubricum ſexus conſilium, ac alias inhabilitates mulieris objiciant, & judex ipſe facile ſuſpicetur, Legem ſaltem circumveniri. An vero cognatorum conſenſu adhibito inſinuatione ulteriori opus ſit, decidendum videtur *ex auth. eo decurſum. C. de donat. ante Nupt. add. Nov. 127. cap. 2.* Adeoque ratione lucri quod maritus ſperat, ſi 500. ſolidos §. 2 *J. de donat.* i. e. aureos excedat, de jure inſinuatio non erit negligenda. *vid. Habn. ad Weſenbec. Paratitl. ff. de pact. dot. num. 4. verb. ſane in perſona.* niſi quis dicere forte velit a muliere in virum conferri donationem remuneratoriam inſinuatione non egentem *l. 27. ff. de donat. Gail. 2. Obſ 39. num. 24.* Sed huic textus ſupra citati obſtabunt. Interim indiſtincte inſinuationis cautelam hodie negligi, utut parum ſecure *docet Illuſtr. Dn. Stryk. in Cautel. contract. Sect. 3. cap. 8. §. 38.*

§. X.

An Pacta dotalia valeant, ſi ſpatia in tabulis dotalibus relicta non ſuppleta ſint?

SEd de perſonis paciſcentibus & quarum conſenſus neceſſarius eſt, ſatis. Ratione formæ quæritur, ſi Lacunæ in tabula dotali relictæ ſupplendæ, nec ſuppletæ ſint, an valeant pacta? Indubitati juris eſt, quod, quoties inſtrumentum conficiendum ſuper contractu, vel pacto aliquo, non prius idem perfectum habeatur, nec aliter vires habeat, niſi inſtrumenta in mundum recepta & omnibus modis completiones acceperint, ac plane abſoluta, ut nulli liceat prius quam hæc præceſſerint, vel a ſcheda conſcripta, licet literas unius partis vel ambarum habeat, vel ab ipſo mundo quod nec dum eſt NB. impletum vel abſolutum aliquod Jus ſibi ex eodem contractu vindicare. *pr. J. de Emt. Vendit. & l. 17. C. de fid. inſtrument.* Unde ſatis evinci poſſe videtur lacunis in dotali inſtrumento relictis ſupplendis nec ſuppletis, pacta eſſe nondum omnibus numeris abſoluta, ſed imperfecta, adeoque nullam ex his induci poſſe obligationem *vid. Perez. ad d. l 17. C. de fid. inſtrumentor. Panormit. in cap. 20. x. de converſione conjugat.* cum contractus non perfectus nullus dicatur *gloſſ. pen. cap. tuæ. 12. x. de cleric. non reſident.* & paria ſint nullum actum, eſſe & actum aliquid non legitime, ſive imperfecte, *l. 21. §. 1. C. de teſtam. §. 7. J. quib. mod. teſtam. infirm. add.*

Gail. 2. Obſ. 13. Cothman. vol. 2. conſil. 89. num. 10. Cæterum animo intentiori caſum propoſitum meditans diſtinguendum cenſeo, an ſuppleri opus habeant tabulæ dotales vel actu ipſo ſuppletæ ſint: v. gr. ſi ſumma dotalis in inſtrumento omiſſa nec determinata, dein marito quædam tradita ſit, idque firmis argumentis probari queat. Sane hoc caſu pacta valere nullus dubitem. Tum quod cum nihil agendum atque perficiendum ſupereſt, res perfecta dicitur, *l. 1. in pr. ff. O. J. l. fin. ff. in jus voc. ut. eant. l. 8. §. 2. ff. de pignorat. act. Calvin. in voc. perfectum. add. Gail. 2. Obſ. 13. num. 11.* ubi notat, ſi in venditionis inſtrumento pretium quidem definitum non ſit, inde tamen, vel quod idem erit, aliunde conſtet, pretium ſolutum eſſe, inſtrumentum nihilominus valere: tum quod paria ſint ab initio aliquid eſſe perfectum, vel poſt intervallum tale fieri *arg. l. 4. ff. de condict. ſine cauſa.* Priori vero caſu, ſi nempe ſuppleri opus etiamnum habeant, neutiquam valebunt, præprimis ſi defectus ad neceſſitatem obligationis pertineat: v. gr. ſi non ſit determinatum, in quantam bonorum portionem conjuges ſibi invicem ſuccedere debeant. Unde & in *conſilio ab Ampliſſimo quodam Inclytæ Reip. Patriæ Senatore* dato, pacta quædam nulla ob talem defectum judicantur. Ita enim ibidem weilen eine Lücke zu finden, worin hat allererſt ſollen gefüllet und geſetzet werden, welchergeſtalt, und mit wie viel die Kinder erſter Ehe ſollen abgetheilet werden, dannenhero dann ſothane Pacta als welche, ſo viel den Puncten der Abtheilung betrifft, nicht vollenzogen worden, beſondern gantz imperfecta geblieben, von Rechtswegen nicht können attendiret noch die Theilung einiger Geſtalt darnach gerichtet, und angeſtellet werden. Siquidem notiſſimi eſt juris, quod Pactorum imperfectorum nulla ſit obligatio. Et huc ſpectant proprie ſuperius de actis imperfecte pro nullis habendis dicta.

§. XI.

An ratihabitio eorum, qui requiruntur, Pacta dotalia confirmet?

AN ſufficiat, ſi pactis dot. ante vel poſt nuptias initis cognati non expreſſe contradicant ſed tacite conſentiant, vel ex intervallo ratihabitio eorum, qui requiruntur, accedat? Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari Pontifex *cap. 10. de R. J. in 6to* ſtatuit, & vulgare eſt, quod paria ſint ab initio legitime fieri, & poſtea legitime confirmari. *l. 20. ff. de militari teſtam. l. 3 §. adquirere, ff. de bonor poſſeſſ.* Quæ quidem licet regulariter ita ſe habeant, in præſenti tamen caſu, nullum ſibi locum vindicare queunt, ſed hic potiſſimum ſervabitur, quod

quod generi quidem derogans ad ſpeciem directum eſt *l. 18. ff. de R. J.* Adeoque cum quoties ſtatutum requirit conſenſum in aliquo negotio adhibendum, is expreſſus & in continenti intervenire debeat. *cap. 28. 29. 42. & 57. x. de Elect. & elect. poteſt. vid. citat. Mevio ad Jus Lubec. P. 2. tit. 2. art. 33. num. 96.* neutiquam ratihabitio ex intervallo valebit. Conſenſus enim Lege requiſitus tunc de forma, ſubſtantia actus eſt, & ad ſolennitatem neceſſariam pertinet, qua omiſſa ipſe actus vitiatur & nullus eſt, adeoque dein convaleſcere nequit, cum ab initio non conſiſtat. *l. 29. l. 201. ff. de R. J. p. & §. 1. quibus non eſt permiſſum. pr. I. de exhæredat. liberor.* Et ex his facile colligi poteſt, quid ſentiendum, ſi in ipſo actu cognati præſentes ſint non tamen expreſſe conſentiant, aut ſubſcribant ſaltim in teſtimonium, non vero ad obligationem. Sane forma a ſtatuto præſcripta vitiatur & negligitur, adeoque quin pacta corruant, quid dubii quæſo remanet? *per l. 44. §. 23. l. 55. ff. de condit. & demonſtrat. Vid. late Peckium de teſtam. conjug. l. 3. cap. 3. & ſeqq.*

§. XII.

An cognati poſt nuptias habeant jus quæſitum ad alterius conjugis bona.

AN non diſſimilis plane ratio conditorum pact. ante & poſt conſummationem conjugii etiam in eo, quod ante non habeant cognati jus quæſitum ad affinitate ſibi jungendi conjugis bona: poſt contractas ſine pactis dot. nuptias ex ſtatutis habent? Ita quidem videri poſſet, ſed jus illud quæſitum admodum lubrico nititur fundamento, ob incertum mortis eventum. Unde etiam quando *in l. ff. pr. C. de pactis dicitur* conſanguineos in conſanguinei proximi hereditate ſpem habere, Ddres notant ſpem illam non eſſe probabilem & juridicam, ſed præmaturam a Lege appellari *l. 1. §. ſi impuberi ff. de collat. bonor. ibique Bartol.* eo quod multa accidere queant, quæ ſpem illam evertant. *vid. Schurpf. cent. 3. conſ. 37. n. 14. 15.*

§. XIII.

An hereditaria bona Pactis dotalibus poſſint in conjugem transferri?

RAtione bonorum, circa quæ pacta dotalia fiunt, variæ pariter occurrunt quæſtiones examine non indignæ. Et quidem ante omnia monendum bona cujusque, ſecundum Patriæ Reip. Leges, eſſe vel hereditaria, vel quæſita ſive induſtralia. Quæ hereditaria ſint,

traditur *St. H. P. 3. tit. 1. art. 7. & 8.* unde facile colligitur, quæ acquiſita ſint *arg. pr. I. de qui ſui vel al. jur. pr. I. de tutelis.* Hæc liberiori Dominorum adminiſtrationi ſubjacent, ac illa non æque libere alienari licita, ut apparet *St. H. c. l. art. 4. & ſeqq. & alibi paſſim.* Horum ergo intuitu quæritur, an hereditaria bona pactis dotalibus in conjugem transferri queant, item quousque & quomodo? deficientibus bonis quæſitis, quin hereditaria conjugi donari queant, vix erit dubium, & probatur *idem St. H. P. 3. tit. 3. art. 8. & P. 2. tit. 4. art. 1. & tit. 8. art. 3. & 4.* Nam ſi ex ſtatuto ſuccedere poteſt conjux in hereditaria bona, quod ſemper deficientibus acquiſitis continget *ſec. d. art. 8.* cur non & ex pacto præprimis legitimo. Potiſſima ergo quæſtio tantum in eo verſabitur, quomodo transferantur & quousque. Ubi quidem ex ſuperioribus repetendum, non per modum ultimæ voluntatis ſed per modum pacti, conventiones dotales in Patria iniri, adeo per pactiones avita bona conjugem transferri patet eatenus, ne cognati juſtam conquerendi cauſam habeant. Quod ſi vero inique conquerentur, obtinebunt dicta ſuperius §. VII. De quæſitis autem bonis, quæ magis libere adminiſtrari ac alienari a Domino poſſunt, ſi pacta diſponunt adhiberi quidem conſenſus cognatorum a ſtatuto requiſitus debet, *arg. St. H. P. 2. tit. IIX. art. 3.* ne quid dolo vel fraude in eorum præjudicium etiam circa hereditaria bona fieri queat, attamen libere etiam invitis cognatis Legem quam quis velit, bonis ſuis induſtrialibus Dominum dicere poſſe, Praxis & experientia fori docet, referente mihi Excell. Domino Placcio, qui idem ex triginta fere annorum Praxi obſervavit, atteſtaturque præjudicium in cauſa Hinſchen contra Hinſchen, Anno 1683. Lunæ 24. Septembr. datum. Ita enim ibi: Im übrigen werden die Pacta dotalia für gültig erkandt, und iſt nach Anleitung derſelben, die Theilung zwiſchen Klägern und Beklagtin vorzunehmen, es könten dann Klägere binnen 4. Wochen, wie recht erweiſen, daß Jochim Hinſche ein Mehrers an Erbgut in ſeinem Vermögen gehabt, als daß deſſen Erben in pactis dotalibus vermachte dritte Theil betrifft, auf welchen Fall ſie in ſo weit damit zu hören. Indeque conceptam quam ſupra Sect. I. §. 5. ex Msstis Garmerianis exhibui, notam reformatoriam arbitror. Quatenus vero parens de bonis quæſitis reſpectu liberorum ſuorum diſponere poſſit, ſequenti §pho excutiam, qua quæritur.

§. XIV.

§. XIV.

De Legitima liberis in conſtitutione dotis relinquenda.

An Parens omnia ſua bona quæſita, excluſis reliquis liberis, uni genero per Pacta dot. queat conferre, vel an reliquis inde debeatur legitima, paterque liberis in illa præjudicare nequeat? Non eget prolixa Diſputatione quæſtio, ſi evolvamus ſtatutarium noſtrum, in quo *St. H. P. 3. tit. 1. art. 23.* ſatis diſertis verbis venerandi Llatores præcipiunt, quod Parens de bonis quæſitis teſtamentum conditurus, etiam ex illis Legitimam cum pleno dominio abſque omni onere liberis ſuis relinquere teneatur. Qui articulus licet de teſtamentis tantum loquatur, attamen ad exemplum inofficioſi teſtamenti, etiam inofficioſas dotes & donationes reſcindi integri Codicis tituli de Donationibus & dotibus inofficioſis affatim evincunt. *vid. Carpzov. Juriſpr. for. P. 2. conſt. 43. def. 18.* Legitima vero liberis relicta reliquam portionem uni vel pluribus filiorum ſuorum patrem prælegare poſſe *St. H. P. 3. tit. 2. art. 4.* demonſtrat. Quod ſi vero legitima liberis prioris conjugii relicta ad ſecunda vota parens tranſeat, & novercæ futuræ de bonis quæſitis plus donet quam habeat unus ex liberis prioris matrimonii, an donatio valebit, vel an locum ſibi vindicabit *L. Hac Edictali 6. C. de ſec. Nuptiis?* Equidem ſi ſtatuto ſtricte inhæreatur, videri poſſet Legitima liberis relicta, nihil ipſis ulterius juris competere in parentis bona quæſita. Legitima enim tantum de neceſſitate eſt *§. 3. I. de inoffic. teſtam. l. 39. & 36. C. eod.* Si quid vero amplius ex paternis bonis liberis donatur, hoc ipſum ex paterna affectione mera ad ipſos perveniſſe cenſebitur, cum legum præceptis ad illud Parens non æque obſtringatur. Cæterum licet hæc generatim ita ſe habeant, attamen hoc ſpeciali caſu contraria præplacet ſententia, eo quod probari nequeat beneficium *L. Hac Edictali C. de ſec. Nuptiis* in Patria uſu eſſe ſublatum. Adeoque vigore hujus Legis, ſi ex priori Matrimonio procreati ſint liberi, patri ad ſecundi matrimonii vota migrante, non licebit novercæ teſtamento, vel ſine ſcriptura, ſeu codicillis, hereditatis jure, ſive legati, ſive fideicommiſſi titulo plus relinquere, nec dotis aut propter nuptias donationis nomine, ſeu mortis cauſa habita donatione conferre, nec inter vivos conſcribendis donationibus, quam ex filiis filiabusve prioris matrimonii iſte habet, cui minor portio ultima parentis voluntate vel derelicta, vel data fuerit, aut donata. Æquas vero partes ſingulis liberis habentibus minime plus liceat ad ipſorum

Novercam transferri, quam ad unumquemque eorum pervenerit: ita tamen ut olim quarta, nunc tertia vel dimidia hereditatis ab inteſtato ad ipſos deferendæ pars pro numero librorum *§. 3. I. de inoff. teſt. Nov. 13 cap. 1. St. H. P. 3. tit. 1. art. 24.* quæ eisdem liberis ex Legibus debetur, nullo modo minuatur, omni circumſcriptione quæcunque excogitetur, penitus ceſſante. *vid. d. leg. 6.*

§. XV.

An Pater ſubſcribens P. D. filio mortuo teneatur promiſſam donationem propter nuptias ſolvere?

SEd hæc de objecto pactionum dotalium, ratione effectus quæritur: An Parens ſi conſentiat filio uxorem ducenti, qui majorem, quam facultates ſuæ permittunt, donationem propter nuptias conjugi ſuæ promiſit in tabulis dot. a Patre ſubſcriptis, filio defuncto teneatur, vidua ipſo conſentiente promiſſam a filio donationem exſolvere? Videri quidem poſſet, Patrem non teneri factam a filio donationem implere, cum pactum Patris dotali inſtrumento comprehenſum neque nullam obligationem contrahat, neque libertatem aliter diſponendi Patri auferat *arg. l. 15. C. de pactis.* Verum præterquam quod communis hominum voluntas ſanctionem illam excluſerit & *Novella Leonis Imp. 19.* contrarium ſtatuerit, moribus hodiernis ex pacto valida contrahitur obligatio. Indeq; ſtultam eſſe vulgi næniam, ait *Peckius de teſtam. conjug. lib. 2. cap. 4. n. 3.* qua dictitant patrem ſponſi multa temere polliceri, quaſi ſcilicet ea ipſa in præjudicium uxoris ſponſus illi remittere poſſet, id quod multis ſententiis confutatum, ſe meminiſſe *Peckius* atteſtatur. *Adde Carpzov. Iprud. for. P. 2. conſtit. 43. def. 12.* qui pro affirmativa quæſtionis ſententia pugnat, adeo ut patrem teneri cenſeat, donationem propter nuptias a filio uxori factam implere, licet nihil expreſſe promiſerit, modo tamen filio uxorem ducenti, pactaque dotalia contrahenti conſenſerit. Vix enim mariti patrem recuſare poſſe judicat, poſteaquam matrimonio conſenſit, ut eas omnes obligationes in ſe ſuſcipiat, quæ ex cauſa matrimonii pendent *arg. l. 1. C. de filiisfam. & quemadm. pro iis pat. ten. §. ſi igitur. 1. J. quod cum eo qui in al. pot.* Alioquin ſane decepta videretur mulier, quam credibile eſt, non aliter filiofam. nupturam fuiſſe, quam mariti facultates & patrimonium intuita eſſet. *l. 22. §. 12. ff. ſolut. matrim. arg. l. hinc quæritur 19. §. 1. l. & ancillarum. 27. §. ult. ff. de pecul.* Nec quicquam habet mariti parens, quod de pacto & promiſſione filii conqueratur, quum filio uxorem

ducenti

ducenti non minus donationem propter nuptias, aſſignare, quam filiam dotare teneatur. *l. ult. C. de dotis promiſſ.* Sane Jure noſtro ſtatutario minus dubitationis quæſtio habet, ſi pater pacta ſimul ſubſcripſerit. Illa enim Patrem obligari ex ſtatuto patet, modo tamen reliquorum liberorum legitima tali donatione non imminuatur. Tunc enim ceu inofficioſam eatenus reſcindi poſſe ex ſuperius dictis & *l. 1. C. de inoffic. donationibus* certum eſt.

§. XVI.

De liberis poſt pacta dotalia natis.

RESpectu contrariorum denique non incommode diſquiri poſſet, An pacta dot. corruant, ſi liberi poſtea naſcantur, & quid obtineat, ſi liberi nati ante obitum alterutrius conjugis moriantur? Sed brevitatis ſtudio Lectorem benevolum remitto ad *Carpzov. Jurisprud. for. Part. 2. conſt. 43. def. 13. & ſeq. Mevium ad Jus Lubec. P. 2. tit. 2. art. 2. num. 187. &c. & art. 28. n. 66. Cothman. Vol. 3. conſ. 44. & 45.*

SECTIO IV.

Recenſens remedia, quibus pacta dotalia vel impugnantur, vel confirmantur, & ut Executioni mandentur, petitur.

QUo eo melius breviusque hic me expediam, caſus diverſi quam maxime ſeparandi venient. Nempe

I Vel nulla ſunt & invalida pacta dotalia, eo quod requiſita legitima deficiunt, & hoc caſu hæres ab inteſtato ſucceſſurus ac impugnans pactorum dotalium valorem.

Vel (1) jam poſſidet defuncti bona, & ſuperſtiti conjugi cum eo experienti, pactaque dotalia alleganti rite opponet exceptionem nulliter factarum pactionum dot. & retentionis jure ac beneficio utetur *per l. 18. §. fin. ff. commod. l. 52. ff. de A. R. D.*

Vel (2) nondum poſſidet, & hoc caſu ad adipiſcendam poſſeſſionem remedium ſive actio ipſi competet pro variis circumſtantiis ſæpe varians. Ita enim Hereditatis petitio de *qua vid. Excell. Dn. Placc. in Tr. de action. Part. poſter. Sect. poſt. art. real. 68. ibique citatos ut & Ddres ad tit. ff. de hereditat. petit.* Actio ex interdicto quorum bonorum *de qua Exc. Dn. Placcius c. l. act. 81. ibiq; cit. & Ddres ad tit. ff. quorum bonorum* ipſi dabitur. Quin & actionem in rem publicianam *vid. l. 18. §. 15. ff. de damno inf. Exc. Dn. Placc. act. real. 29. &c.* vel aliam rei vindicatoriam pro circumſtantiarum qualitate, maxime vero rei bona defuncti detinentis, competere certis caſibus poſſe extra dubium eſt.

II. Vel

II. Vel valida ſunt pacta & jure ſubſiſtunt, & hoc caſu pariter vel ſuperſtes conjux debita ſibi vigore horum pactorum bona detinet, & actorem controverſiam ſuper illis moventem ſeque heredem ab inteſtato jactantem exceptioni Pacti conventi, imo incompetentis actionis repellit, vel ab alio detinentur, qui ſi conſenſit in iſta pacta, actione Pacti *Exc. Dn. Placcius c. l. ſect. prior. act. perſ. 112.* vel condictione certi ex ſtipulatu *Dn. Placcius act. perſ. 109.* recte convenietur. Sin vero non conſenſit in pactiones dot. aliqua ſupra memoratarum actionum realium erit cum ipſo experiendum. Quin & actionem præſcriptis verbis quandoque competere poſſe *ex l. 6. C. de Jure dotium* patet. Denique

III Vel valida quidem ſunt pacta, ſed hæres ex illis ſuccedens ex defuncti bonis vel plus detinet, quam ipſi vigore pactorum debetur, & prout conſenſit in pacta vel minus ita vel ex pacto aut ex ſtipulatu vel reali actione cum ipſo agetur: Vel plus petit, & exceptione plus petitionis § *33. J. de action.* repellitur.

Atque hæc potiſſima ſunt remedia occaſione pactorum dotalium competentia, quarum naturam indagare nunc operæ pretium eſſet, ut invicem comparari & ponderari queant & conſtare poſſit, quænam elective, quænam cumulative concurrant, item quænam præ aliis adhibere & eligere ſatius atque conſultius actori ſit futurum: Verum brevitatis rationem habens & ne juſto ſim prolixior filum abrumpo, & remedia hic tantum enumeraſſe & ſupremo quaſi digito attigiſſe contentus, operam hanc cujusvis ſanioris judicio actionum naturam inveſtiganti & cum præceptis de concurſu actionum conferenti relinquo.

Hæc ergo ſunt, quæ occaſione ſtatuti Patrii de Pactis dotalibus commentanda cenſui. Quæ ſi arrideant benigno Lectori, mihi gratulabor. Sin vero diſpliceant, ea, qua decet reverentia, rogito, ut Juvenilem conatum æqui bonique conſulant, meque partim temporis anguſtia excluſum, partim mediis requiſitis deſtitutum accuratius hiſce enucleandis vacare non potuiſſe benevole perpendat, & de cœtero de meliori nota me ſibi commendatum habeat.

DEO interim O.M. ejusque immenſæ benignitati pro præſtito hactenus auxilio, ſit

Laus, Honor & Gloria.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Thomasius, Christian, / Anckelmann, Dietrich, / Salfeld, Elisabeth

Moderante Deo Optimo Maximo Rectore ... Principe ac Domino, Dn. Friderico Wilhelmo ... Dispvtationem Inavgvralem De Pactis Dotalibvs ad Part. II. Tit. XI. Art. XI. Juris Statutarii Hamburgensis

Halæ Magdebvrigicæ 1723

4 Diss. 83#Beibd.15
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10640572-0
VD18 15152170